

communicatus, non autem de reconciliatione per ab-  
 solutionem peccatis. Quem sensum amplectitur etiam  
 Albaspina in notis ad Nicenam Synodum, ut refert  
 Magrius Verb. Viaticum in princ. & nos diximus su-  
 pra Decif. XVI. num. 23. Itaque tempore S. Cy-  
 priani permissum erat ab Ecclesia, ut Laici in casu  
 mortis, deficiente Presbytero, reconciliarent pub-  
 licos penitentes, recipiendo illos in communionem  
 fidelium; quæ reconciliatio fieri solebat solemniter  
 à Presbyteris, & ab Episcopis in feria quinta Cœ-  
 næ Domini per recitationem multarum precum, &  
 orationum, quæ leguntur in Codice Sacramentorum  
 Romanæ Ecclesiæ, nongentis annis vetustiore, (nu-  
 per impresso Romæ in Typographia Angeli Bern-  
 nado Ann. 1680.) lib. 1. tit. 38. in Quinta feria  
 hebdomada maioris, ubi inter reliquas orationes ex-  
 tat illa, quæ incipit, Deus misericors, Deus clem-  
 ens, qui secundum multitudinem miserationum tua-  
 rum peccata penitentium des, &c. nempe eadem  
 illa, quæ legitur in Rituali Romano sub Ordine  
 Commendationis animæ, secunda post Litanias bre-  
 ves: undè discant Curati animarum venerationem,  
 & devotionem debitam ipsis precibus, & orationi-  
 bus ob eorum antiquitatem, cum essent usitæ ab  
 Ecclesia ante nongentos ab hinc annos. Vnde mi-  
 rum sit, quòd antiquitus in casu necessitatis Laici  
 reconciliarent publicos penitentes, quia probabilis  
 est opinio Doctorum, (quos cumulat Sayrus in The-  
 sauro Caf. conscientie lib. 2. cap. 21. num. 3. &  
 Bonacina tom. 1. de Conjur. in Com. disp. 1. q. 3.  
 punct. 3. num. 2.) quòd Laicus possit absolvere mor-  
 ribundum ab excommunicatione, absente Sacerdote,  
 quòd docent Sylvelter Verb. Absolutio 1. num. 8.  
 & S. Antonius 3. p. tit. 17. cap. 4. Casu 7.  
 & alii, à quibus non dissentit Sanchez in Decalog.  
 lib. 2. cap. 13. num. 13. in fine, & Volpi in Re-  
 sol. Moralib. Verb. Censura, resol. 22. num. 14.  
 Ad Quartum ex cap. Fares 13. q. 2. duas dat  
 responsiones idem Eminentiss. Card. de Lauræa d.  
 disp. 19. num. 15. & 16. Una est, quòd in illo  
 textu intelligitur communicatio cum fidelibus, idest  
 absolutio ab excommunicatione, quæ dari poterat à  
 Diacono in articulo mortis, ut dictum est supra de  
 Laico. Altera est, quòd intelligendum etiam de Com-  
 munionem Eucharisticam, sensus sit, si vulneratus mor-  
 ribundus Presbytero, vel Diacono constitatur, idest,  
 ostendat, se velle confiteri, si possit, vel minister adse-  
 set, Eucharistiam posse accipere; quam Diaconus  
 poterat ministrare, certificatus de contritione eorum-  
 dem surum vulneratorum; nam, ut scripsimus in  
 25 Decifionibus de Eucharistia Decif. LI. num. 7. ad  
 recipiendam Eucharistiam sufficit contritio in tri-  
 bus casibus; Primus est in casu mortis, si Sacerdos  
 haberi non possit, cui moribundus confiteatur; Se-  
 cundus est, si Sacerdos teneatur celebrare, & non  
 possit abstinere absque scandalo; Tertius est, si quis  
 non communicando incurreret infamiam, grave  
 detrimentum, & desereret Confessarius, juxta do-  
 ctinam Tamburini de Expedi. Commun. cap. 1. §. 6.  
 & §. 10. ubi DD. & Eminentiss. Card. de Lauræa.  
 De Eucharistia disp. 25. num. 158.  
 Ad Quintum respondetur, non esse credendum di-  
 cto illius glossæ, quæ sæpe sæpius ponit multos er-  
 rores præcipue circa Confessionem Sacramentalem,  
 qualis est iste, quòd possint Laici absolvere; & quòd  
 confessio non obliget Græcos, ut ipsa glossa ait in  
 26 cap. 1. de Pœnit. disp. 5. & quòd Confessarius non  
 absolvat, sed declaret absolutum, ut in cap. Quod-  
 cumque 24. q. 1. de quibus, & aliis erroribus ad-  
 vertit Magrius in Hierolexic. d. Verb. Confessio Sa-  
 cramentalis. Et Barbosa in d. cap. Quodcumque  
 num. 13. Veritas enim est, (ut explicatum est su-  
 pra.) quòd Confessio non potest fieri Laico, ut  
 absolvat, sed ut coadjuret contritionem ob erube-  
 scentiam.

Ad Sextum, dicendum est, quòd in hoc eodem  
 sensu sit locutus Magister Sententiarum; & ita fit 27  
 intelligendum, ut notant ibidem omnes Scholastici  
 ipsius expositores.  
 Ad Septimum respondetur, magnam esse dispari-  
 tatem inter necessitatem Baptismi, & necessitatem  
 Confessionis Sacramentalis. Baptismus est absolute 28  
 necessarius parvulis, qui in casu mortis non possunt  
 elicere votum illum suscipiendi, ut salventur; idèd  
 Christus concessit, ut omnes possint baptizare in casu  
 necessitatis, sive Laicus, sive Femina, defici-  
 entibus Presbyteris. At Confessio Sacramentalis  
 non est absolute necessaria, quia in defectu Sacer-  
 dotum penitentes possunt salvari per actum contri-  
 tionis, cum voto confitendi coram Sacerdote, si  
 ejus copiam habuerint; ut bene differit Emin. Card.  
 de Lauræa de Pœnitent. d. disp. 19. n. 8. Di-  
 ctum autem Hostiensium est satis insulsum, nisi con-  
 duntur ob magnam prudentiam, & sanctitatem ali-  
 cujus mulieris, coram qua quis se accusaret de pro-  
 priis peccatis ad excitandam contritionem, sed nun-  
 quam, aut rarissime.  
 Ad Octavum satis est responsum ex supradictis,  
 quia erubescencia illa bona est; at eam debet com-  
 mitari prudens circumspèctio, ne ex manifestatio-  
 ne oculorum criminum coram Laico scandala exoriantur;  
 itaut magis expedit, ut penitens erubescat  
 coram Deo, & se conterat in corde suo cum  
 voto confitendi Sacerdoti, si ejus copiam habere.  
 Ad Nonum, non impugnat Confessio facta Lai-  
 co prudenti, ut ab eo penitens erudiatur; potest  
 enim aliquando esse utilis ob hunc finem; sed non  
 ut absolvat, quia Laici nunquam absolvere possunt  
 à peccatis.  
 Ad Decimum respondet antedictus Emin. Card.  
 de Lauræa d. 19. num. 18. quòd penitens solum  
 attritus dici non potest sine remedio, quia ex Dei  
 auxilio semper parato aptus est conteri in corde  
 suo, scilicet odio habere peccata sua, & ea detestari,  
 quatenus sunt offensa Dei, & sic salvari cum  
 voto confitendi Sacerdoti, si possit.  
 Ad exemplum successivè relata respondetur, ea esse  
 admiranda, non imitanda, si ad effectum obri-  
 nendi absolutionem Sacramentalem illæ Confessio-  
 nes factæ fuerint. Jam ostendimus, laicos non posse  
 absolvere à peccatis, eum sint incapaces clavium  
 Ecclesiæ, quas Christus dedit Sacerdotibus tantum;  
 idcirco Laici, de quibus in antedictis exemplis, si  
 absolvere tentassent, peccatum mortale commississent,  
 nisi eos ignorancia, vel bona fides excusasset,  
 ut ait Gobat d. tract. 7. num. 21. Cæterum ab his  
 exemplis colligere debemus, quanta sit differentia  
 nostrorum temporum cum antiquis circa penitentiam,  
 & dolorem de peccatis. Tunc enim, qui non poterant  
 habere Sacerdotem, cui confiterentur culpas suas,  
 eas etiam Laicus cum dolore cordis manifestabant;  
 nunc autem, o quanti! non unum, sed plura lustra  
 sinunt decurrere absque Sacramentali Confessione.  
 Uterius in præteritis sæculis rigorosæ penitentia; im-  
 ponebantur pro peccatis; nam, ut legitur in canonibus  
 pœnitentialibus, (qui leguntur apud Gratianum post  
 tertiam part. Decret. & apud Reginald. lib. 7. n. 54.)  
 pro culpis carnalibus, septem annis penitere oportebat,  
 pluries in hebdomada jejunando in pane, & aqua,  
 induendo cilicium, & alias austeritates amplectendo,  
 de quibus in cap. Prædicandum 22. q. 1. & cap. Hoc  
 ipsum 33. q. 1. quæ agebantur nimis pro peccatis  
 contra naturam cap. Hoc ipsum 32. q. 2. cap. Clerici  
 de Excessu. Prælator. Idem practicabatur pro perjurio,  
 & pro homicidio, cap. Quicumque 6. q. 1. cap. Miror  
 50. dist. Et multo magis pro blasphemia. cap. Statuimus.  
 De maledictis; imò pro fraudibus in pondere, vel mensura.  
 cap. Ut mensurae. De Contrahend. Empt. Nunc autem pro prædic-  
 tis enormitatibus quid injungant Confessarii peni-  
 tentibus

tentibus nesciunt, adeò detrectat quilibet assumere  
 pœnitentiam; & vix bini, vel terni Rosarii recitatio  
 committitur, quam etiam multi negligunt adimplere.  
 Sed & illud notabile, ne deplorabile dicam, quòd  
 antiquitus pro supradictis peccatis publicis, idest pub-  
 lically, ac scandalose commissis, opus erat assumere  
 penitentiam publicam, vel solemnem, septem sal-  
 tem annis duraturam; & quinque essent gradus publi-  
 cæ penitentiam, nunc autem omnino recessit ab aula  
 usus publicæ penitentia; Hi erant prædicti gradus,  
 ut refert Magrius in Hierolex. Verb. Hyemantes. Pri-  
 mus hyemantium, seu lentium, ac lentium, qui cil-  
 licio induti, & extra januam Ecclesiæ prostrati la-  
 crymis implorabant veniam de commissis scandalis à  
 fidelibus Ecclesiæ intrantibus. Secundus erat Audien-  
 tium, eorum scilicet, qui commorati multo tempo-  
 re inter hyemantes permittebantur ingredi januam Ec-  
 clesiæ, stare in Narthex, idest statim intra januam  
 cum Catechumenis, & ibi audire Verbum Dei, &  
 Missam usque ad consecrationem, à qua expelleban-  
 tur. Tertius erat Substradorum, qui vocabantur ante  
 consecrationem coram Episcopo, vel Presbytero cele-  
 brante, & coram eo prostrati recipiebant manum  
 impositionem prævis orationibus ad implorandam  
 super eis Divinam miserationem. Quartus erat Consi-  
 stentium, eorum videlicet, qui assumpti ex prædictis  
 gradibus consistebant in Ecclesia ad totam Missam;  
 sed non admittentur ad oblationem, neque ad  
 communionem Eucharistia; Quintus tandem gradus  
 erat Participantium, & hi erant, qui completa pe-  
 nitentia pro tempore usque à jure statutum, & recepta  
 reconciliatione, ac Sacramentali absolutione, ad  
 Sacram Synaxim admittentur. Ecce, quanto  
 sudore, pavore, humilitione, & mortificatione olim  
 opus erat pro obtinenda remissione culpæ publicæ  
 ac scandalosæ commissarum. Hæc publicæ peniten-  
 tiæ vigerunt duodecim integris sæculis, ut ex Ca-  
 bassuto de Notis. Eccl. dissert. 8. in fine refert Illustris-  
 simus Episcopus Sarnelius Epistolæ. Ecclesiasticæ. tom. 2.  
 Epist. 9. & ab eo tempore commutari cœperant in  
 expeditiones adversus infideles, pro recuperatione  
 Terræ Sanctæ, ut legitur in Concilio Claramontensi  
 Terzæ, habito sub Urbano Papa II. Anno 1095. de quo  
 ibidem Eminentiss. Card. Baronius, ac Spondanus,  
 & in quo legitur secundus Canon conceptus his ver-  
 bi: Quicumque pro sola devotione, non pro honoris,  
 vel pecunie adæptione ad liberandum Ecclesiam Dei  
 Jerusalem profectus fuerit, iter illud pro omni pœni-  
 tentia reputetur. Hac nostra ætate non est qui cogi-  
 terit amplius de recuperatione Terræ Sanctæ, quam  
 pacificè Turcæ retinet, & nullus est, qui verè ex-  
 periat in seipso, quod de Sancta Paula Romana  
 scripsit S. Hieronymus, teste Stephano Menochio  
 Hist. Miscell. part. 3. §. 287. Affigendum corpus,  
 quod multis vacavit deliciis. Longus visus perpeti serui  
 componens. In hac Civitate Patavina usus publi-  
 carum Pœnitentiarum floruit per totum Sæculum XIII.  
 ut constat ex libro vetusto existente in Archivio Re-  
 verendissimi Capituli Ecclesiæ Cathedralis, inscrip-  
 to, Ordo Divinorum Officiorum, &c. in quo tum in  
 feria 4. Cinerum, tum in feria 5. Cœnæ Domini  
 agitur de modo reconciliandi publicos Penitentes.  
 Utinam etiam hodie qui scandalosam vitam agunt,  
 hunc saluberrimum usum spererent, & intelligerent, ac  
 novissima providerent, ut legitur in Cantico Moysis  
 Deuter. 32. 43.

DECISIO XIX.

ARGUMENTUM.

Præmissa erudita declaratione tum Clavium mate-  
 rialium ex auro, ex argento, & ex ferro; tum  
 Naturalium, Industrialium, & Spiritualium, ex  
 metaphora sic appellatarum, disputatur de CLA-

VIBUS ECCLESIAE datis à CHRISTO, tam  
 pro foro externo, quàm pro foro interno. Oten-  
 ditur, Claves fori externi esse duas, Scien-  
 tiæ scilicet, & Jurisdictionis. Utramque fuisse  
 in D. Petro, & in Apostolis, & nunc esse  
 in Papa, & in Episcopis. In Papa cum præ-  
 rogativa Infallibilitatis, & absque ulla restrictio-  
 ne locorum, vel personarum, ob ejus Prima-  
 tum. In Episcopis cum dependentia à Papa, à  
 quo illas recipiunt pro suis Diocesisbus tantum;  
 prout etiam Cardinales, Abbates, ac Prælati  
 Regulares pro suis solum subditis non etiam Ab-  
 batibus. Declarantur duæ Claves fori interni,  
 Scientiæ, & Potentiæ. Quomodo hæc transeant  
 in simplices Sacerdotes? & Triplex earum-  
 dem Clavium effectus. Quæ omnia Juribus,  
 Historiis, & Auctoritatibus DD. plenè compro-  
 bantur.

SUMMARIUM.

- 1 Clavis quid sit, & unde dicta?
- 2 Clavis quis esset?
- 3 Clavium quis auctor? earum usus antiquissimus.
- 4 Claves alie materiales, alie metaphoricæ.
- 5 Claves aureæ de corpore B. Petri Junptæ; Regibus donantur.
- 6 Claves argenteæ pro custodiendis rebus Sacris; & præcipue Sanctissima Eucharistia.
- 7 Clavis ferrea S. Petri Lauretana miraculosa: ac S. Bellini Episcopi Patavini.
- 8 Maniales S. Petri de Padua laudatæ.
- 9 Claves metaphoricæ quæ, & quot sint?
- 10 Claves nature odo, quæ sunt in manu solius Dei.
- 11 Claves industriales duæ, alie muscales, alie fabriles. Et quæ, & quot sint?
- 12 Claves spirituales quæ, & quot sint? quibus aperitur serena Divina Misericordia.
- 13 Claves Ecclesiasticæ datæ à Christo quæ, & quot sint? Et cur sic dicantur?
- 14 Claves Dei, Christi, Ecclesie quomodo inter se differant?
- 15 Claves Ecclesiæ alie sunt pro foro externo, alie pro foro interno. Probatio, quòd datæ sint claves pro foro externo.
- 16 Claves fori interni esse in Ecclesia, probatio.
- 17 Claves fori externi quæ, & quot sint? Et quibus sint concessæ?
- 18 Episcopus qui est eligendus, debet esse Doctor, & iterum examinatur coram Papa.
- 19 Clavis scientiæ fuit cum infallibilitate in Petro, & Apostolis, & est in Romanis Pontificibus, non autem in aliis Episcopis; & cur?
- 20 Concilia Generalia, absente Papa, non habent infallibilitatem in definiendo. Eam habent, Papa presente, vel confirmante ipsa Concilia.
- 21 Heretici negant infallibilitatem in Papa. Exempla sed vindicata.
- 22 Clavis Jurisdictionis pro foro externo quid sit? & Quotplex.
- 23 Clavis Jurisdictionis data est à Christo tum Petro, tum Papa cum duabus ampliationibus, & quæ hæc sint?
- 24 Clavis Jurisdictionis data est Apostolis à Christo cum duabus limitationibus. Quæ sint?
- 25 Apostoli non erant exempti à Jurisdictione Petri, sed erant subditi Petro.
- 26 Episcopi recipiunt clavem Jurisdictionis à Papa cum duabus conditionibus. Et quæ sint?
- 27 Papa an possit asserere Episcopis Jurisdictionem à Obiæa. & Episcopos.
- 28 Clavis Jurisdictionis Cardinalium, Abbatum, & Prælatorum Regularium. An etiam Abbatisiarum?



- 29 Abbatiffæ que possunt in Moniales?
- 30 Claves fori interni due; una Scientiæ, alia Pœnitentiæ.
- 31 Sacerdotes habent Claves fori interni, sed cum duobus requisitis. Et quæ?
- 32 Sacerdos prohibitus celebrare cur validè consecrat? prohibitus audire Confessiones, invalidè absolvat?
- 33 Sacerdotes simplices non possunt absolvere à Venialibus, aut ab alijs confessis.
- 34 Clavium fori interni effectus triplex: Delevè culpam; pœnitentiæ æternam, & minuire temporalem. An vero infallibiliter? Distingue, ut hic.

Quia dictum est in præcedenti Decisione num. 9. illicitum esse confiteri Laico, ea præcipua ratione, quod absolutio Sacramentalis pendet à Clavibus Ecclesiæ, quas Laici habere non possunt; ideò in presenti agendum est de istèdem Ecclesiæ Clavibus, ac pro earum plena intelligentia sex sunt examinanda.

- Primo, Quid, & quotuplex sit Clavis?
- Secundo, Quæ, & quæ sint Claves Ecclesiæ?
- Tertio, Quæ, & quot sint Ecclesiæ Claves pro foro externo, quibusvè sint datæ?
- Quarto, Quæ, ac quot sint Claves pro foro interno?
- Quinto, Quibus sint datæ Claves fori interni?
- Sexto, Quinam sit effectus harum Clavium, & an sit infallibilis?

Quo ad Primum: Clavis est instrumentum, quo operta, arcule, & id genus multa clauduntur, & aperiantur; & dicitur à clam, quia quæ celare volumus, claudere solemus. Galepin. in Verb. Clavis; vel à verbo claudo, ut advertit Vossius in Etymolog. Lingue Latine, eod. Verb. quod etiam profertur eludo, A V in V converso, undè Janus Latii Rex, inter Deos à gentilibus relatus, cujus Templum à Romanis aperiebatur tempore belli, claudèbaturque solemnè ritu tempore pacis, dicebatur Clavus, quasi Clavis à Templo clauso, nec non Patulcus ab ejusdem Templi patentibus januis, juxta id, quod inquit Ovidius lib. 1. Fastor. in illis versibus: Nomina ridebis: modò namque Patulcius idem, Et modo pacifico Clavus ore vocor. Scilicet alterno voluit rudis illa vetustas Nomine diversas significare vices.

Auctorem clavium quemdam Theodorum Samium scribit Polidorus Virgilius lib. 3. cap. 24. de Inventor. rer. sed antiquiorem earum usum esse constat ex Scriptura Sacra, in qua tempore Aodi, annis scilicet mille, quadringentis, & ultra ante adventum Christi, legitur, quòd servi Eglonis Regis Moab interfecit à prædicto Aodo, tulerunt clavem, & apertientes (cœnaculum) invenerunt Dominum suum in terra jacentem mortuum. Judic. 3. 25. Imo, quia ingressu Noe in Arcam, inclusit cum Dominus de foris. Genes. 7. 16. probabile est, talem inclusionem per manus Angelorum clavi firmatam fuisse, ut notat Arcius tom. 3. lib. 4. Impres. 34. num. 6. Certum est autem, quòd Romani utebantur clavibus, quarum traditione transferèbatur dominium rerum sub ipsis existentium in accipientem. l. Clavibus. De Contrahen. Empt. Imò uxori primùm domum ingredientibus mariti claves dabant, ut scirent, se in eorum bonis societatem acquirere. Tholosan. in Synagm. Jur. Univ. lib. 9. cap. 15. num. 14. subdèns ibidem ex Ciceroe Orat. 2. contra Anton. quòd in casu divortii per eodèdem maritus claves quòdam ab uxori bus auferèbantur.

Claves autem sunt in duplici genere; siquidem aliæ sunt materiales, & aliæ metaphoricæ. Claves materiales sunt illæ, quibus, ut dictum est utuntur homines ad claudendas, & aperendas domos, arculas, serinia, & similia, & hæc fieri consue-

verunt vel ex auro, vel ex argento, vel ex ferro. De clavibus aureis, super sepulchrum S. Petri Apostolorum Principis collocari solitis, & indè ob devotionem Regibus, ac Dynastis per Romanos Pontifices transmitti, testis est Divus Gregorius Magnus, qui Epist. lib. 6. Indit. 15. Epist. 23. narrat mortem cujusdam Longobardi unam hujusmodi clavem auream frangere præsumptis, subdèns, quòd Rex Longobardorum pro eodèdem miraculo aliam clavem auream fecit, atque cum ea pariter ad sanctæ memoriæ decessorem suum transmissit, indicans quale per eam miraculum contigisset. Ulterius idem Sanctus Pontifex lib. 7. Ind. 2. Epist. 126. Recaredo Regi Hispaniarum scribens ait: Clavim verò parvulam à Sacratissimo Beati Petri Apostoli corpore, pro ejus benedictione, vobis transmisimus; in qua regis ferrum de catenis eius inclusum, ut quod collum illius ad martyrium ligaverat, vestrum ab omnibus peccatis solvat. Frequentiam verò clavium aurearum, quas olim fideles ad sepulchrum ejusdem S. Petri Apostoli mittebant, ut eorum vice alias sibi salubres reportarent; narrat etiam S. Gregorius Turonensis lib. 1. de Gloria Martyr. c. 28. his verbis: Multi claves aureas ad referendas cancellos sepulchri B. Petri Apostoli faciunt, qui ferentes pro benedictione, priores accipiunt, quibus infirmitates tribulationum medeantur.

Claves ex argento fabricatæ antiquitùs pro custodiendis rebus Sacris adhibebantur. Hujus rei testimonium præstat Bulcherius apud Torrigium in Cryptis Vaticanis. quem refert Bagata de Admirandis Orbis Christ. tom. 1. lib. 3. cap. 3. num. 6. ita dicens: Cum ad sepulchrum Principis Apostolorum oraret S. Servatius Episcopus Tungrensis, ab eodèdem Divo Apostolo mirabiliter clavem argenteam, quam secum semper ferret, accepit. Hanc tempore sterilitatis devotè per campos ferentes incolæ mirabilem continuè experiuntur. Tungri est urbs Belgii in Brabantia à Leodio, & Trajecto partim ditans, ut notat Ferrarius in Lexico Geograph. eod. Verb. Nollris Temporibus clavæ argenteæ sunt in usu apud Parochos, & alios Ecclesiarum Rectores, quibus utuntur pro custodia Sanctissimæ Eucharistiæ ferreis clavibus omnino scriptis; juxta Decreta Episcopalia in Visitatione hujus Dioecesis Patavina ubique evulgata; adinstar Synodali Constitutionum, quas in exemplum omnes Antistites sumere decet, Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Caroli Barberini Abbatis Farnensis, Anno 1685. nec non Fabii Chifii Episcopi Albanensis Anno 1687. ad Titul. De Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, quibus addenda Synodus Illustr. ac Reverendis. D. D. Pauli Vallaresii Episcopi Concordiensis Anno 1697. eod. tit. cap. 20.

Ex ferro claves sunt innumeræ pro profanarum rerum usu, nec non Religioforum; at ex his duas tantùm mirabiles referam. Unam scilicet ostioli Saceratæ Adis Lauretanæ hærentem apud Sabinos in cœnobio Benedictinorum, cui est à Fara cognomen; de qua Petrus sanctus in Miracul. perpet. cap. 3. ita differit: Pauperas juvat, ut erit prolem vultum felici puerperio, doloribus aut prohibitis, aut certè mitigatis. Quod causa est, cur frequenter ex Sabinæ in Urbem ad feminas Principes præferatur, quando eis imminet partus. Idem refert Bagata d. tom. 1. lib. 5. cap. 2. num. 6. Alteram, de qua testis ocularis ego sum spatio annorum supra sexaginta, est Clavis ferrea S. Bellini Episcopi Patavini ab immemorabili tempore custodita apud Illustrissimas Moniales S. Petri hujus urbis Antenoræ, quæ mirabilis est in sanandis canum rabidorum moribus. Præfuit S. Bellinus huic Paduanæ Ecclesiæ sæculo duodecimo; & pro defensione bonorum Mensæ Episcopalis, & Ecclesiasticæ libertatis palam martyrii obtinuit, à rabidis canibus discerpens, eos Thoma Capiaceo impio Cive infligante in Sanctum

Autem Antistitem Anno 1148. ut ad dictum Annum observat Sertorius Urfatus Eques in Hist. Patav. part. 1. lib. 4. Cubiculi hujus Sancti clavis ferrea remanet apud prædictas DD. Moniales S. Petri; quas nobilitate præditas, & inconcussa religio sita eximias, paterna charitate sua, multorumque bonorum largitate decoraverat; ideòque ob merita ejusdem Sancti sanitate reportant, qui rabidorum canum morus passi sunt, contactu prædictæ Clavis; quæ etiam in fugandis febribus, dum ea infirmi signantur, mirabiliter effulget. Hanc mirabilem opem habere etiam Claves Templi ejusdem Martyris S. Bellini, quindècim millibus passuum Rhodigio distans, narrat Cœlius Rhodigin. lib. 17. cap. 28.

Metaphoricæ Claves sunt quedam virtutes ex Dei ordinatione, ac hominum etiam industria provenientes, quæ hoc nomen ex metaphora sortitæ sunt, ut ab auctoritate Scripturæ Sacræ, vel communi usu loquendi; metaphora enim nihil aliud est, quàm quedam similitudo transferens nomen aliquod proprium unius rei ad significandum aliquid aliud; ut dum dicimus Prata ridet, quando scilicet bene florent, ex similitudine hominum ridendum ob hilaritatem cordis, vel Segetes stant, quando patiuntur siccitatem, ex similitudine hominum stentium, ut doctè declarat Eminentiſſ. Card. de Laurea de Pœnitentiâ disp. 18. num. 1. Igitur Claves Metaphoricæ sunt in quadruplici differentia, Naturales, Industriales, Spirituales, & Ecclesiasticæ.

Claves naturales sunt octo, quas Deus sibi soli reservavit, & stant in manu sua, tamquam virtutes, & effectus præcipui omnipotentis suæ. Prima est creationis animarum, & productionis hominum; ideòque dicitur Rachele viro suo Jacob: Da mihi liberor, alogium moriar. Gen. 30. 2. ipse respondit ei: Num pro Deo ego sum? & subinde Recordatus Dominus Rachele aperuit vulvum ejus, quæ concepit, & peperit filium. Gen. 30. 23. Secunda est universalis alimonie omnium viventium, juxta illud Psal. 144. 16. Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das illis esum in tempore opportuno; aperis tu manum tuam, & implet omne animal benedictione. Tertia est Clavis pluviarum, de qua dicitur. 28. 12. Aperit Dominus thesaurum suum optimum cœlum, ut tribuat pluviam terræ suæ. Quarta est resurrectionis mortuorum, recentia per Ezechiel. 37. 12. Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris. Quinta est Clavis lingue, de qua David Psal. 50. 17. Domine labia mea aperies, nam, ut habetur Prov. 16. 1. Domini est gubernare linguam. Sexta est oculorum, & aurium, dicitur Isaia 35. 5. Aperiantur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt; scilicet tempore Redemptoris. Septima est Clavis cordium, quæ non aperitur absque Dei virtute; ideò de Lydia purpuraria habetur Act. 16. 4. quòd ejus Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur à Paulo. Octava est suprema potestatis sciendi, ac disponendi quicquid placuit Divinæ voluntati, juxta illud: Solus quippe omnia quæcumque voluit, fecit. Apoc. 3. 7. & vocatur ab Isaia Clavis David, quia claudit, & nemo aperit; Aperit, & nemo claudit. Isa. cap. 22. num. 22. Ita Tertius in Genes. cap. 30. Vers. 2. & Salius ad Annum Mundi, 2289. num. 3.

Industriales Claves Metaphoricæ sunt duæ præcipuæ, Musicales, & Fabriles. Claves Musicales sunt regulæ, seu præcepta ad dicendam musicam, & cantum; & sunt tres F. fuit, C. solvant, & G. solvant. Primus duabus utitur cantus planus, seu firmus; omniibus tribus cantus figuratus, seu firmus; est sonus gravis: Secunda acuti, & tertia superacuti. Ita Horatius Scæletta in Sebala Musicæ. cap. 2. Claves Fabriles sunt catenæ ligneæ, vel ferreæ in capitibus firmatæ fibulis, ad trabium, ac

parietum consistentiam, & colligationem; de quibus disputat Vitruvius lib. 1. cap. 5. an secutiores sint illæ, quæ sunt ex robore, vel quæ compinguntur ex ferro; ut notat Lexicon Mathematicum doctissimi Patris Hieronymi Vitalis Verb. Claves. num. 64.

Spirituales Metaphoricæ Claves sunt quedam opera bona spiritualia, quæ vim habent aperiendi serinia Divinæ bonitatis; & obtinendi, ad favorem exercentium illa, divitias Misericordiae Dei. Inter hæc præcipuum locum obtinet Oratio. Eleemosyna, & Uniformitas divinæ voluntati. De Oratione habemus promissionem Dominicam in illis verbis Luc. 11. 9. Ego dico vobis, petite, & dabitur vobis, querite, & invenietis, pulsate, & aperietur vobis. Ecce virtutem aperiendi, quam habet oratio tamquam clavis; & de ea subdit S. Augustinus, teste Alphonso Rodriguez par. 1. Exercit. Perfecl. trad. 5. cap. 2. Oratio iusti Clavis est Cæli; & ascendit præcepto, & descendit Dei miseratione. De Eleemosyna ita scribit S. Jo. Chrysostomus super Math. Sermon. 9. Eleemosyna omnia Deo confisit. Huic cum multa fiducia porte Cæli aperiantur. Quamobrem Cornelio Centurioni facienti eleemosynas multas plebi, aperto Cælo Angelus dixit: Eleemosyna tua ascendit in memoriam in conspectu Dei. Ad. 10. 4. De uniformitate Divinæ voluntati testatur B. Gertrudes, cui desideranti, ut Christus habitaret in ejus corde dixit: Da mihi clavem cordis tui; idèst voluntatem tuam; ex quo intellexit, quòd si quis desiderat Dominum hospitio recipere, debet illi clavem propriæ voluntatis suæ resignare. Ita legitur in ejus select. cap. 5. & refert P. Carolus Lombardus in Serm. Dominicis. 4. Advent. part. 1.

Ecclesiasticæ tandem Claves sunt illæ, quas Christus Dominus tradidit Ecclesiæ suæ juxta promissionem Divo Petro factam Math. 16. 19. Et tibi dabo claves Regni Cælorum; videlicet potestatem absolvendi, seu ligandi à peccatis; per quàm hominibus datur aditus in Cœlum; vel isdem in ipsum ingressus denegatur, juxta verba immediate à Redemptore ibidem dicta Petra: Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum, & in Cælis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum, & in Cælis. Et de his Clavibus, quæ proprie spectant ad tractatum nostrum de Pœnitentiæ Sacramento, in præfati est specificè differendum, antecedentibus ad ornatum materiæ tantummodo, ut supra, relatis. Igitur

Quo ad Secundum: Si querimus, Quæ, & Quot sint Claves Ecclesiasticæ, seu Ecclesiæ? scire oportet, hæc claves nihil aliud esse, nisi potestatem aperiendi, & claudendi Regnum Cælorum; sive ligandi, aut solvendi homines, ut ingrediantur; ratio est, quia omnis res, ad quam significandam translatum est nomen aliquod, debet habere similitudinem cum re, à qua facta est translatio; quapropter cum Potestas Ecclesiastica habeat ex Christi concessione jus, & facultatem aperiendi, vel claudendi cœlum hominibus, ut dictum est; id ob hæc causam hæc potestas vocatur Clavis; & ita docent S. Thom. in 4. dist. 18. quest. 1. Scotus ibid. dist. 19. art. 1. & cum alijs Emin. Card. de Laurea de Pœnitentiæ Sacram. d. disp. 18. art. 1. ubi à num. 6. & segg. hæc denominationem Ecclesiasticæ potestatis confirmat ex S. Joan. Chrysostomo, qui Homil. 83. loquens de S. Petro ait: Claves Regni Cælorum ei concessit, totamque potestatem ei commisit. Ex S. Maximo in Homil. de S. Petro, & Pauli dicitur: Claves illis datas, idèst ligandi, & solvendi facultatem, & ad Cœlum introducendi. Ex venerabili Beda Homil. in cap. 21. Joan. sic scribente: Ecclesiæ, quæ fundatur in Christo, Claves ab eo Regni Cælorum accepit in Petro, idèst potestatem ligandi, atque solvendi peccata. Et ex verbis Extravagantis Joannis X XII. incipiens. Quia Quorundam. De Verb. Signific. ubi ipse Pontifex ait, quòd



quod *Clavis est potestas, qua Judex Ecclesiasticus dignos admittere valet ad Regnum Cœlorum, & ex-  
pellere indignos.*  
 Neque obstat, quod in Ecclesia Martyrium, Bap-  
 tismus, Contritio, & alia pia opera, quæ innui-  
 mus supra, habeant potestatem aperiendi Cœlum;  
 & tamen hæc non dicuntur Claves, neque homines  
 illa habentes dicuntur uti potestate clavium. Nam  
 respondetur, quod Clavis potestatis aperiendi Cœlum  
 est triplex. Una supremæ auctoritatis, & hæc est so-  
 14 lita, altera excellentiæ, & hæc est Christi; ter-  
 tia ministerialis, & hæc est ipsius Ecclesiæ. Deus  
 habet Claves Cœli ob ejus supremam, & universa-  
 lem potestatem super omnes creaturas, ac homines;  
 & quibus vult, aperit; & quibus non vult, clau-  
 dit: nam, ut ait Apostolus ad Rom. 9. 18. *Cujus vult  
 miseretur, & quem vult indurat.* Christus, ut homo  
 & Redemptor habet Claves Cœlorum per excellen-  
 tiam, siquidem ipse est Rex Regum, & Dominus do-  
 minantium. Apoc. 19. 16. & cap. 1. num. 18. *ibid.*  
 sic de se loquitur: *Ego sum primus, & novissimus,  
 & vivus, & fui mortuus; & ecce sum vivens in sæ-  
 cula sæculorum, & habeo claves mortis, & inferni.*  
 Ecclesia autem habet Claves Regni Cœlorum ministe-  
 riales, quas Christus dedit tum Petro, tum Apostolis,  
 quorum successores sunt Episcopi, cap. *Quorum vices*  
*dist. 68.* & ab Episcopis eas recipiunt inferiores Sa-  
 cerdotes. cap. *Sacerdos, & cap. Placuit de Pœnit.*  
*dist. 6.* Concil. Trident. sess. 14. cap. 6. Porro hi  
 omnes aperiunt Cœlum clavi ministeriali, idest pote-  
 estate ligandi, atque solvendi, quam receperunt, &  
 habent tamquam ministri Christi, juxta id, quod scri-  
 bit Apostolus, 1. Cor. 4. 1. *Sic nos existimet homo  
 ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.*  
 Et 2. Cor. 3. 6. *Qui in idoneos non fecit ministros novi  
 testamenti.* Et alibi sæpè. Baptismus autem, Mar-  
 tyrium, & alia bona opera non aperiunt Cœlum hac  
 clavi ministeriali, sed per impetrationem, aut depreca-  
 tionem, ut sic distinguentes differunt ex Canonistis  
 Barbosa in *Collect. DD. ad cap. Quodcumque. 24. q. 1.*  
*num. 16.* & Ethelredus Emin. Card. de Laurea d.  
 disp. 18. art. 1. n. 11. Et arr. 6. n. 137. & seqq.  
 Circa secundam partem quaeriti requiruntis, quot  
 sint Claves Ecclesiæ? Respondemus, eas esse in du-  
 15 pliciter differentia; nam alie sunt Claves pro foro ex-  
 terno; & alie sunt Claves pro foro interno. Extant  
 in Ecclesia Catholica Claves Regni Cœlorum pro  
 foro externo, scilicet potestas regendi in spirituali-  
 bus Christi fideles, eoque ligandi censuris Eccle-  
 siasticis, vel absolvendi juxta eorum merita, aut  
 demerita, ut cœlum ingredi valeant, vel ab eo ar-  
 ceantur, & hoc probatur ratione, & auctoritate.  
 Ratio est, quia cum Summus Pontifex, & Episco-  
 pi sint Pastores Ecclesiæ, quibus commissa est cu-  
 ra animarum secundum id, quod à Christo dictum  
 est Petro, *Pascere oves meas.* Joan. 21. 27. & quod  
 monebat Paulus confocios suos his verbis: *Atten-  
 dite vobis, & universo gregi, in quo Spiritus Sanctus  
 posuit vos Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Act. 20.  
 28. hæc cura ovium, & gregis rectè exerceri non  
 potest absque virga, idest absque potestate ligandi,  
 & solvendi in foro externo, ubi reperiantur oves  
 errantes, contumaces, & Pastoribus suis inobedi-  
 entes. Auctoritas concessæ hujus Potestatis, & Clavi-  
 um pro foro externo manifestè habetur in *Matth.*  
 18. 17. ubi cum Christus docuisset Apostolos modum  
 corrigendi peccantes, subdit, quod si quis eorum  
 Ecclesiam non audierit, sit sicut *Bithicus, & Pub-  
 licanus,* videlicet per Ecclesiasticarum censurarum  
 fulminationem; addendo statim, *Amen dico vobis  
 quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata &  
 in cælo, & quæcumque solveritis super terram, erunt  
 soluta & in cælo.* Cum itaque loqueretur Dominus  
 de publicè peccantibus, & contumacibus Ecclesiæ  
 præceptis, dedit Claves pro foro externo; potestatem

scilicet ligandi eos, & puniendi censuris, ac pœnis  
 Ecclesiasticis, donec resipiscant; & mereantur ab-  
 solvi, ut bene differit Eminentiss. Cardin. de Lau-  
 rea ex *Doctrina Scoti*, ac *Scottistarum d. traã. de  
 Sacram. Pœnit. disp. 18. art. 3. à num. 17.* & seq. re-  
 ferens sub n. 24. praxim Ecclesiæ sibi Occidentali-  
 bus, quàm Orientalibus, quæ conferens *Charulario*,  
 seu, ut Græci dicunt, *Chartofiaci* Vicariam pote-  
 statem Patriarchatus in omni causa, & judicio, in-  
 ter alia insignia ei consignat duas Claves, quod  
 notat etiam Eminentiss. Cardin. Baronius ad *Annun-  
 Christi 191. tom. 8. Annal. fol. 26.* & ejus Compila-  
 tor Spondanus ad *eundem annum num. 9.*  
 Claves autem pro foro interno, idest potestatem  
 absolvendi à peccatis in Sacramento Pœnitentiæ, 16  
 nullus est ambigendi locus, reperiri in Ecclesia,  
 tum ob certam ejusdem potestatis concessionem, quam  
 Christus elargitus est Apostolis post resurrectionem  
 suam à mortuis, dum dixit eis: *Accipite Spiritum  
 Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,  
 & quorum retinueritis retenta sunt.* Joan. 20. 23.  
 tum ob usum clavium, ejusdem scilicet potestatis  
 absolvendi homines à peccatis in foro interno, ac  
 pœnitentiæ, quem continuatim temporibus servavit  
 Ecclesia, ut testimonio SS. Patrum, ac Concilio-  
 rum probatum est supra *Decif. XVII.* tum etiam  
 quia dari Claves fori interni ad absolvendos pœni-  
 tentes in Ecclesia decium est de fide, non solum  
 in Concilio Florentino sub Eugenio IV. sed postea  
 in Tridentino de *Sacram. Pœnit. sess. 14. cap. 3.* ibi:  
*Dominus noster Jesus Christus è terris ascensus ad  
 Cœlos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tam-  
 quam Præfides, & judices, ad quos omnia mortalia  
 crimina deferantur, in qua Christi fideles ceciderint,  
 qui pro potestate clavium remissionis, aut retentionis  
 peccatorum sententiam pronuntiant. Et successivè  
 eadem sess. 14. cap. 6. ibi: declarat Sancta Synodus  
 falsas esse, & à veritate Evangelii penitus alienas  
 doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines, præ-  
 ter Episcopos, & Sacerdotes, Clavium ministerium  
 perniciosè extendunt. Ergo sunt in Ecclesia Claves  
 Regni Cœlorum pro foro interno; quas utique re-  
 cognoverunt, suisque scriptis venerati fuit S. Tho-  
 mas in 4. dist. 18. *quæst. 1.* Scotus *id. lib. dist. 19.*  
 S. Bonaventura, & Alensis, apud Eminent. Card.  
 de Laurea illos sequentem d. disp. 18. art. 2. num.  
 13. Quæ verò, & quot sint, dicemus infra in qua-  
 erito.  
 Quo ad Tertium Quæsitum, *Quæ, & Quot sint  
 Claves Ecclesiæ pro foro externo, & quibus sint da-  
 17 tæ?* Respondetur duas esse Claves, Unam Scientiæ,  
 alteram Jurisdictionis; & utraque esse datas à Chri-  
 sto tum Petro, ac Summis Pontificibus in Sede A-  
 postolica succedentibus, tum Apostolis omnibus, at-  
 que Episcopis eorum Successoribus, ac cum differen-  
 tia circa utramque Clavem mox explicanda. Scien-  
 tia est Clavis fori externi concessa Summo Romano  
 Pontifici, ac aliis Episcopis ad aperiendum Cœlum  
 fidelibus per doctrinam, & explicationem Scriptura-  
 rum, & decisionem dubiorum vel fidem, vel mores  
 concernentium; quam Clavem in adventu Christi  
 Pharisæi sibi usurpaverant, sed eam malè adhibe-  
 bant; undè eos reprehendit Christus *Luc. 11. 52.* di-  
 cens: *Ve vobis Legis peritis, quia tulistis Clavem Scien-  
 tiæ, ipsi non introistis, & eos, qui introibant, pro-  
 hibuistis.* Quo loci sic explicat Tirinus. *Clavem  
 Scientiæ, idest potestatem, & munus, interpretandi  
 Sacras Scripturas, quæ clarissimè docent, & viam  
 aperiunt ad Regnum Cœlorum, & indicant me verum  
 Messiam.* Ita Tertullianus, & Ambrosius. Igitur hæc  
 Clavis Scientiæ data est in lege gratiæ Petro, &  
 Apostolis, quando illidem dixit Christus: *Euntes in  
 mundum universum, prædicate Evangelium omni crea-  
 tura.* Marc. 16. 15. & *Matth. 28. 19.* Euntes er-  
 go docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine  
 Patris,*

Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; docentes eos  
 servare omnia, quæcumque mandavi vobis. Et hæc  
 Clavis modo relictæ apud Summum Pontificem, &  
 apud Episcopos Apostolorum Successores, ideòque  
 in Episcoporum ordinatione liber Evangeliorum  
 ponitur super cervicem, & scapulas eorum, littera  
 deorsum inversa, & deinde traditur in manibus ei-  
 dem ordinato sub hac forma verborum: *Accipe Evan-  
 gelium, & vade; prædica populo Tibi commissio, po-  
 tens est enim Deus, ut augeat Tibi gratiam suam, ad  
 denotandam scilicet hanc Clavem scientiæ, quam  
 vi ordinis Episcopalis accipiunt, & ut ea salubri-  
 ter, ut valeant, statum est in Concil. Trid. sess. 22.  
 18 de Ref. cap. 2. quod Episcopus, ut muneris sibi in-  
 jungendi necessitas possit satisfacere, antea in Uni-  
 versitate Basilorum Magister, sive Doctor, aut licentia-  
 tus in Sacra Theologia, vel in jure Canonico merito  
 sit promotus. Imò, quod Privilegium facit doctora-  
 tum, sed non doctorem, ut omnis suspicio frau-  
 dis, & inscitæ præcaueatur, decrevit Clemens Pa-  
 pa Odavus, ut quilibet promovendus ad Episcopa-  
 tum debeat examinari circa Scientiam, quantumvis  
 sit Litteratus; ut differat Pax Jordanus tom. 1. lib. 1.  
 tit. 19. num. 4. & lib. 7. tit. 1. num. 3. Barbosa de  
 Episc. part. 1. tit. 1. cap. 2. ubi de præcisa obliga-  
 tione Episcoporum prædicandi Verbum Dei, ex pro-  
 fesso agunt, allegantes plurimas SS. Patrum, ac Do-  
 ctorum auctoritates.  
 Porro hæc Clavis Scientiæ data fuit per Christum  
 Petro, & Apostolis cum prærogativa infallibilita-  
 tis; quæ quidem, infallibilitas transfuit, & residet  
 in Romano Pontificibus Successoribus Petri, non et-  
 iam in aliis Episcopis, quamvis Apostolorum locum  
 occupantibus. Quod Petro, & Pontificibus Romanis  
 attributa sit à Christo Clavis Scientiæ cum hac præ-  
 rogativa, ut errare non possint in decernendis his,  
 quæ ad fidem, vel ad mores spectant, concedunt om-  
 nes Doctores Catholici tam Theologi, quàm Canoni-  
 stæ, quos longa serie cumulat Barbosa de *Jure Eccle-  
 siæ. Univ. lib. 1. cap. 2. à n. 38.* & seqq. & Fagnanus in *cap.  
 Majores. num. 14.* & *15.* de *Baptismo*, ubi refert S.  
 Thomam ita docentem in 2. 2. *quæst. 1. art. 10.* ea  
 ratione, quia Christus solus Petrus, dum cum Summo  
 Pastorem, & Vicarium suum constituit totius Eccle-  
 siæ, dixit: *Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat  
 fides tua; & tu aliquando conversus confirma fratres  
 tuos.* Luc. 22. 32. Idcirco quamvis Papa, qui est  
 Vicarius Christi, & Successor Petri, ut homo pri-  
 vatus possit errare, tamen quando diffinit ex Cathedra,  
 tamquam Magister, & caput Ecclesiæ, errare  
 non potest, licet enim Deus non dederit ei impecca-  
 bilitatem in agendo, cap. *Nov nos.* & *ibi Glossa pe-  
 nit. dist. 4.* dedit tamen ei infallibilitatem in diffi-  
 niendo. cap. *Hæc est fides. 24. q. 1. cap. Majores.*  
 3. de *Baptismo.* Quod latè demonstrat Cardinalis  
 de Turrecremata. lib. 2. de *Romano Pontif. cap. 3.* Card.  
 Bellarm. lib. 4. de *Romano Pontif. cap. 3.* Card.  
 de Laurea in *Epitome Canon. Verb. Papa circa res fidei.*  
 Canus de *Locis Theolog. lib. 6. cap. 3.* & seqq. usque ad  
 cap. 8. Suarez de *fide disp. 5. sect. 8.* Barbosa d. lib. 1.  
 cap. 2. à num. 38. & seqq. Fagnanus in d. cap. *Majores*  
 à num. 13. de *Baptismo.* Novissimè Aden. ad Ro-  
 tam Romanam part. 3. *recom. Decif. 2. §. 5. n. 29.*  
 & plurib. num. seqq. nec non Jo. Laurent. Lucchesi-  
 nus in *Opusculo de Infallibilitate Pontificis Maximi;*  
 ubi pluri Lector amplissimas auctoritates hujus veri-  
 tatis videt.  
 Apostolis quoque Christus Dominus elargitus fuit  
 hæc Clavis scientiæ cum prærogativa infallibilita-  
 tis, ut probat Emanuel à Schelstrate de *Antiquitate  
 Ecclesiæ tom. 2. differt. 2. cap. 1. n. 10.* Siquidem Ape-  
 ritus illis sensum, ut intelligerent Scripturas. Luc. 24.  
 45. Et illidem promissit, quod *Paracletus Spiritus  
 Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos do-  
 cebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque di-  
 De Sacramento Pœnitentiæ.**

xero vobis. Joan. 14. 26. Et rursus apud Joan. cap. 16.  
 num. 13. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, do-  
 cebit vos omnem veritatem.* Et ita tenuerunt SS. Pa-  
 tres, & Concilia, ibi allegata; & firmatque de Mar-  
 ca Archiepiscopus Parisiensis In *Exercitatione de Singu-  
 lulari Petri Primatus num. 5.* concludens his verbis:  
*Apostoli à fide defecero à Deo eruditi non poterant.* Cæ-  
 terum, quia in Apostolis hæc prærogativa fuit per-  
 sonalis, idè non transfuit in Episcopos eorum suc-  
 cessores, quorum penè infinitus numerus erravit in  
 fide, & à fide; nam, ut loquitur Aden. ad Rotam  
 d. part. 3. *Decif. 2. §. 5. sub num. 41.* *Si cursum de-  
 curramus per omnes Mundi provincias, in quibus  
 Apostoli prædicarunt: defecit Achaia, ubi Andreas;  
 Asia, ubi Joannes; Hierosolyma, ubi Jacobus; India,  
 ubi Thomas; Persia, ubi Simon, & Judas; Æthio-  
 pia, ubi Mattheus; utraque Græcia, ubi Paulus;  
 Phrygia, ubi Philippus; Samaria, ubi Mathias;  
 India interior, ubi Bartholomæus, & sic de singulis  
 aliis locis. Sola Roma, quam Divinus Monarcha pro  
 ejus sempiterno domicilio in terris elegit, cap. *No-  
 vit. de Judic. cap. Fundamenta ejus.* De *Eled. in 6.*  
*Beati Petri prædicatione edocuit, pro cuius fidei firmitate  
 rogavit Christus, tanquam columna, saxumque immo-  
 bile permanet, ac permanebit.*  
 Hinc est, quod Concilia Generalia, etsi congre-  
 20 gata Papæ auctoritate, si Papa in illis non sit præ-  
 sents, non habent prærogativam infallibilitatis; &  
 Episcopi in eis intervenientes, quamvis habeant Clavem  
 scientiæ, possunt errare, ut advertit Fagnanus  
 in *cit. cap. Majores. num. 29.* de *Baptismo;* & ibi  
 Cardin. Turrecremata in *cap. Anastasius, in fin. dist. 19.*  
 & Cardin. Albanus de *Potestate Papæ, & Concilii in 2.*  
*part. num. 107.* ideòque Concilium Ephesinum II. li-  
 cèt universale, & legitima auctoritate congregatum,  
 erravit in definitionibus fidei, quæ Leo Papa noluit  
 confirmare, & in sequenti Concilio Calcedonensi  
 tamquam hæreticum damnavit, ut plenè demonstrat  
 Lucchesinus in d. *Opusculo.* Et alia plura Concilia,  
 in quibus Papa non præfuit, errarunt circa fidem, ut  
 ostendit idem Cardin. Turrecremata de *Ecclesiæ lib. 3.*  
*cap. 58. Verf. Secundo modo;* & Gryfalvus in *Decif.*  
*Fidei Cathol. Verb. Concilium generale;* undè notat  
 Fagnanus in d. cap. *Majores. num. 36.* quod diffini-  
 tiones Concilii Generalis non sunt habendæ pro ar-  
 ticulis fidei, nisi in tribus casibus. Primus est, cum  
 Papa est præsens in Concilio. Secundus est, cum  
 Papa committit Concilio, ut talem articulum sic,  
 vel sic definiat. Tertius est, cum Papa, prævia ex-  
 aminatione, Canones Concilii confirmat sua Au-  
 thoritate Apostolica; & ab omnibus Christi fide-  
 libus suscipiendos, ac servandos esse decernit; ut fre-  
 quenter factitatum legitur in Historia Conciliorum,  
 & servatum fuit à Pio Papa IV. in confirmatione  
 Concilii Tridentini, ut in ejus Bulla posita in calce  
 Concilii, quæ incipit: *Benedictus Deus.* Et hoc  
 idem erudito calamo firmat notæ Abbas Paulinus,  
 Canonius Patavinus, & Sacræ Rotæ Romanæ Au-  
 tor in *Jurisprudencia Sacra lib. 3. traã. 3. cap. 6. in fin.*  
*In excursu per totum;* in quo astruit causam inerrabi-  
 litatis Conciliorum.  
 His ita firmatis, non est sub silentio prætereundum  
 quod non defuerunt tum præfatis, tum præsentibus  
 21 quibus hæretici homines, qui impugnarunt infalli-  
 bilitatem Clavis scientiæ in Summis Pontificibus Ro-  
 manis, eos de variis erroribus redarguentes in rebus  
 fidei; ut referunt Azorius *Instit. Moral. tom. 2. lib. 5.*  
*cap. 4. Verf. Tertio queritur.* Barbosa d. lib. 1. cap. 2. à  
 n. 52. & seqq. Cotonius lib. 3. *Controv. q. c. 7. n. 208.*  
 novissimè Illustrissimus Baptæstinus in *sua erudita His-  
 toria Conciliorum,* vulgari sermone, sed non vul-  
 gari ingenio exarata, quam legisse juvabit om-  
 nem Ecclesiasticum, tum ob plenam notitiam  
 progressus Religionis ab Apostolis usque ad hæc tem-  
 pora; tum ob innumeras propè eruditiones Histo-  
 riam*



riam Sacram, ac profanam concernentes. Igitur præfatus Illustrissimus, ac Reverendissimus Episcopus Baptaglinus in ultima editione prædictæ Historiæ Conciliorum loco infra citato refert, & confutat sequentes latratu Aloyfii Memburgi, Societatis Jesu defensoris; videlicet: Primò ad Concil. 3. *Apostol.* quòd S. Petrus erraverit in fide, abstinendo Antiochiæ à cibis prohibitis in Legge Mosaica, idè eum S. Paulus reprehendit, ut in *Epist. ad Galat. cap. 2. Vers. 11.* Secundò, quòd Anno 357. erraverit Liberius Papa, subscribendo Concilium Sirmii, in quo firmata fuerat formula Symboli non exprimentis consubstantialitatem Verbi cum Patre. Tertiò, quòd Anno 553. num. 10. licèt in Concilio II. Constantinopolitano damnata fuerit Epistola Ibae Episcopi Edefæ in tribus capitulis, eam Vigilus Papa approbaverit. Quartò, quòd Anno 681. Honorius Papa scripserit, & tenuerit hæresim Monotelitarum de unica voluntate Filii Dei. Quintò, quòd Anno 897. Stephanus Papa VII. sivè VI. erraverit, decernendo, ut Clerici ordinati à Formoso Papa Prædecessore suo, iterum ordinarentur. Sextò, quòd Anno 1197. Clemens Papa III. seu potius Cælestinus III. damnatus sit ab Innocentio III. in *cap. Quanto. de Divortii.* eò quia docuerit, uxorem hæretici ad fidem Catholicam venientem posse alii nubere. Septimò, quòd Anno 1327. Joannes Papa XXII. in eum incidit errorem contra fidem, animas scilicet ab omni peccato purgatas frui non posse visione Dei in alia vita, antequam veniat finis mundi, & fiat iudicium universale. Octavò ad Annum 1558. Paulum Papam IV. dum ab eo pereretur annullatio Matrimonii Ducis Memoransi cum Principissa de Piennes, dixisse, sibi cavendum, nè imitaretur Prædecessores suos, qui errant circa indissolubilitatem Matrimonii.

Hæc tamen, & similia objecta, quæ brevitate gratia omittimus, nullius sunt roboris; quia sunt meræ calumnie, & imposturæ à Novatoribus ex odio contra Apostolicam Sedem, ac Romanos Pontifices excogitate. Itaque ad primum respondetur, in nihilo errasse Divum Petrum abstinendo à cibis in Legge Mosaica prohibitis; quia cum jam Lex Mosaica esset mortua, nondum erat sepulta; neque peccatum erat, aliquis ejusdem legis cæremonias observare honesto aliquo motivo, ut fecit non semel Paulus, dum circumcidit Timotheum, & dum votum Nazareatus explevit. Cæterum eum Paulus reprehendit, vel ex conditio, ut sic Judæi baptizati removerentur ab observanda Legge Mosaica circa cibos, vel liberiori spiritu, ut Gentiles pariter baptizati scirent, eos non posse adigi ad ejusdem Mosaicæ Legis ritus, præcipue in cibis observandos. Quidquid fuerit, nullus error, nulla culpa, nullum dogma contra fidem reperiri potest in D. Petro, ut latius demonstrat Eminent. Card. Baronius *Ad Annum Christi 51. num. 31.* & ejus Compilator Spondanus *ibid. à num. 7.* Ad secundum respondet Emin. Cardinalis de Aguirre in *Defensione Cathedralis S. Petri disp. 28. sect. 2. n. 22.* nullum fuisse errorem contra fidem in illo Sirmii Concilio, licèt enim in Symbolo ibidem firmato non possident Patres verbum *Omousson* idest consubstantialitatis Patri, tamen dixerant *Omousson* idest idem similem substantiæ Patri, quod satis erat ad denotandam divinitatē Christi; ut confessus est quoque Memburgus, cum esset Jesuita, in *sua Historia Ariana lib. 4. fol. 504. & 505.* Ad Tertium respondetur, Epistolam Ibae non fuisse invincibiliter hæreticam, sed potius recto sensu intelligi, & ab hæresi liberari; idè Vigilus Papa hac de causa eam approbavit, ut bene demonstrat idem Eminent. de Aguirre *disp. 29.* Ad Quartum, negatur, Honorium docuisse unam voluntatem tantum in Christo; quævis enim obscure egerit de illa questione, constat ex ejus dictis tenuisse duas in Christo voluntates, ut latè Eminentiss. de Aguir-

re *defens. 302. per totam.* Ad Quintum, cessat respectu erroris ob reiterationem ordinum, quia non de ordinibus, sed de dignitatibus reterandis intellexit Stephanus Papa, opinatus, Formolum Prædecessorem suum nulliter esse contulisse. Ita Eminent. de Aguirre *disp. 30. num. 54. & seqq.* Ad Sextum plures dantur responsiones vindicantes Pontificem ab impactu errore. Una; quòd non constat de asserta ejus decretali. Altera, quòd esto reperiretur, non fuit facta ex Cathedra, sed tamquam ex opinione hominis privati; idè Innocentius III. in *d. cap. Quanto. de Divor.* ait, licèt quidam Prædecessor noster aliter sensisse videatur, Aliud autem est sentire, aliud docere, & determinare. Manifesta est autem malignitas glossæ in eodem *cap. Quanto in V. Prædecessor.* ubi arguit de asserto errore Cælestinum III. allegans ejus decretalem in *cap. 1. De Conversione infidelium*, in qua agit de nullitate Matrimonii ob impedimentum criminis ex homicidio, non autem si conjux fidelis diverat ad hæreticos. Ad Septimum, quia famosa erat disputatio illa, an anima in Cælo ante diem iudicii universalis fruatur visione Dei, tempore Joannis XXII. videatur Jo. Palatius in *Gestis Pontificum Romanorum*, in Vita ejusdem Joann. XXII. ubi eum defendit à latratibus tum Calvinii, tum aliorum impostorum, inter quos Memburgus, ostendit Pontificem nihil de ea diffinisse, sed ordinasse Cardinalibus, & Doctoribus suæ ætatis, ut rationes pro utraque opinione colligerent, quibus ponderatis posset questionem terminare. At morte præventus Joannes XII. nihil decrevit, eam autem diffinivit Benedictus XII. ejus Successor, prout in ejus *Constitut. IV. in Bullarii tom. 1. pag. 185.* Incipit. *Benedictus Deus &c.* Ad Octavum respondetur, Memburgum manifeste calumniari verba Pauli IV. qui nequaquam dixit, Prædecessores Pontifices errasse circa indissolubilitatem Matrimonii; sed caute esse procedendum circa probationes de facto, ne in eis veritas occultetur, ut poterit accidisse cum suis Prædecessoribus, ut latius idem Illustrissimus Baptaglinus in prædicta Historia Conciliorum, Anno 1558. pag. 399. in ultima Editione; præter supradictos Auctores, Azorium, Barbofam, & alios apud illos, tuentes inerrabilitatem Clavis scientiæ in Papa in dogmatibus tum fidei, tum morum, quando ex Cathedra respondet, & definit; prout facit in canonizatione Sanctorum, ac in approbandis Religiosorum ordinibus; & consimilibus distinctionibus spectantibus ad statum universale totius Ecclesiæ; in quibus omnibus ex specialii promissione Dei Papa errare non potest; ut optime disputando concludit Fagnanus in *cap. perniciosam, à n. 56. & seqq.* De Offic. Ordin. nec non in *cap. Venerabili à num. 10. & seqq.* de Testibus tom. 3. & in *cap. audivimus. n. 27. 28. & 29. tom. 5. de Reliq. & Vener. Sanctor.* Et hæc de Clavi scientiæ pro foro externo.

Alter Clavis fori externi est Jurisdictio, idest Potestas, & superioritas super aliquos, ratione cujus hi teneantur obedire habenti Jurisditionem, dum iusta præcipit; & dividitur in Ecclesiasticam, & Civilem, idè duplex est jus, aliud Canonicum, aliud Civile; undè permanant Canones, & Leges, quibus homines dirigitur, in causis spiritualibus, & temporalibus. Emin. Card. de Laurea de *Pœnitent. Sacram. d. disp. 18. art. 5. num. 98.* & Baldellus in *Theolog. Morali tom. 1. lib. 5. disp. 1. nec non d. lib. 5. disp. 6. num. 2.* ubi differentiam notat utriusque Juris. Jurisdictio Ecclesiastica definitur à Card. de Turrecremata *lib. 1. de Eccles. cap. 93.* Ut sit: Potestas ad regendum populum secundum Legem divinam in ordine ad beatitudinem supernaturalem. Est autem duplex. Una Directiva, quæ exercetur, tradendo Leges, mandata & præcepta; ex quorum observatione aperitur aditus, & ingressus ad Regnum

gnum Cælorum. Altera, Coercitiva, qua puniuntur inobedientes, & contumaces censuris, ac pœnis, ut resuscitent, & ad viam salutis æternæ revertantur; ac prævia absolute à prædictis pœnis, & censuris, Cælum, quod illis clausum erat, aperitur; ob quam causam Jurisdictio Ecclesiæ sortita est nomen Clavis; quæ potest subdividi in duas Claves subalternas, prout duæ sunt species Jurisdictionis; Prima dirigendi bonos ad Cælum per præcepta; Secunda puniendi malos per censuras, & alias opportunas pœnas; ad hunc finem, ut utraque aperiat Cælum utriusque.

Igitur hæc Clavis fori externi, quæ est Jurisdictio Ecclesiastica, data est per Christum Divo Petro, ac ejus successoribus Pontificibus Romanis cum duabus ampliationibus. Item data est per eundem Christum SS. Apostolis cum duabus limitationibus. Tandem post Apostolos voluit Christus, eam transire in Episcopos Apostolorum Successores, sed cum duabus conditionibus. De singulis breviter differamus.

Divo Petro, ac Pontificibus Romanis ejus Successoribus data fuit hæc Clavis à Christo Domino, juxta id, quod dixit ei, *Matth. 16. 19. Et Tibi dabo Claves Cælorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum &c. in Cælis; & quodcumque solveris super terram, erit solutum &c. in Cælis.* Et post Resurrectionem suam à mortuis dicendo eidem Petro, *Joan. 21. Pasce oves meas;* idest rege, & curam habes omnium meorum ovium (animarum scilicet ob finem æternæ beatitudinis creaturarum) tradidit ei omnem Jurisdictionem pro foro externo, ad regimen animarum necessarium. *cap. Significasti 4. de Elect. cap. Cum instantia 27. in fin. de Consob.* Et ex hac divina concessione resultat prima Ampliatio, videlicet hanc Clavem, Jurisdictionemque tradidit Petro, & Romanis Pontificibus ejus Successoribus, non esse alicui loco, vel personis restrictam, sed se extendere per mundum universum; & comprehendere quamcumque personam, sive privatam, sive publicam, Principes, Reges, & Imperatores; Episcopos, Patriarchas, Metropolitas; in Primatum; ut in infinitum propemodum Scriptores Catholicos testantur, constantes hereticos tum veterum, tum modernorum. Primatum Sedis Apostolicæ decerpentes; ut videre est apud Emanuelelem Schellæ *art. 2. & art. 3. & Paulum Rubicum in Addit. ad d. Rotam Romanam part. 3. recent. decif. 2.* ubi tiffimus *§. 4. num. 28. & 29. Azorium d. part. 2. lib. 4. cap. 10. Barbofam de Jure Eccles. Univ. d. lib. 1. cap. 1. num. 18. & 19.* atque Luchesium in altero Opusculo de *Præstantia Pontificis Maximi* per totum. Secunda ampliatio hujus Clavis, Christum Petro largita, transiit ipso facto in Romanos Pontifices; qui, postquam sunt canonicè electi, consensum accipiunt à Deo plenitudinem potestatis per universum mundum; idcirco Papa non sed immediate ab ipso Deo recipit plenitudinem Potestatis, ut ex professo testantur SS. Patres, Concilia, & Canones, quos refert Azorius *d. lib. 4. cap. 11. Pax Jordanus d. tom. 1. Prælat. 3. num. 23. P. Macedo de Clavis Petri lib. 1. Dissert. 4. cap. 1. & Schellæ *art. 2. tom. 2. Dissert. 3. cap. 3. ubi num. 9.* ait: Longum esset ceterorum Patrum, scriptorumque loca adducere, cum plura sint, quam ut facili enumerari possint: quare omitti singulorum Episcoporum testimonii, Conciliorum generalium acta recensentibus, et quibus de Orbis universi iudicio constabit, & recentissis Conciliis hanc successorem plenissimam Potestatem in Sede Apostolica Romana*

De Sacramento Pœnitentiæ.

prostantibus, *cap. 4.* Historici demonstrat, quòd Romani Pontifices auctoritate Apostolica per Orbem universum usi sint, & curam totius Ecclesiæ semper gesserint; ac idem probando persequitur Paulus Rubicus in *Addit. ad d. decif. 2. part. 3. recent. §. 5. §. 6. & §. 7.* ad quem studiosius recurrit, si eruditus probationes, & easdem eruditionibus ornatas cupiat videre super amplissima Papæ Jurisdictione, immediate sibi à Deo data.

Apostolis prædicta Clavis, quæ est Jurisdictio pro foro externo, fuit à Christo largita, sed cum duabus limitationibus. Pro intelligentia sciendum, controversiam esse inter Canonistas, & Theologos, an Apostoli receperint Jurisdictionem immediate à Christo, vel potius à Divo Petro? Card. de Turrecremata in *cap. Ita Dominus num. 9. disp. 19.* & Cardinalis Jacobatus de Concilio *lib. 10. art. 7.* quos citat, & sequitur Fagnanus in *cap. Perniciosam num. 47. & 48. De Offic. Ordin.* volunt, Claves Jurisdictionis pro foro externo provenisse in Apostolos à Petro, cui tantum à Christo fuerat promissa, ac data. At Scotus in *4. disp. 19. §. de Quinto,* apertis verbis docet, potestatem Jurisdictionis datam fuisse à Christo Apostolis, quando iidem dixit, quòd qui spreverit Ecclesiæ correctionem, sit tanquam Ethnicus, ac Publicanus; subdens *Matth. 18. 18. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram &c.* Scoto autem adhæret Suarez de *Pœnitent. disp. 24. sect. 1. Vasquez in quest. 93. art. 1. num. 2.* & aliis omittis, Eminentiss. Cardin. de Laurea de *Sacram. Pœnit. d. disp. 18. art. 9. num. 261.* sed cum his duabus limitationibus. Prima est, quod ex concessione illius Jurisdictionis exerceat per totum Orbem, quòd ituri erant prædicaturi Evangelium, non essent exempti ab auctoritate, & superioritate Petri, quem Christus constituerat primum, & supremum Pastorem Ecclesiæ suæ in illis verbis, *Pasce oves meas. Joan. 21. 17.* idè quoque idem Apostollerant oves Christi, & eorum Prælati, ac Pastor erat Petrus; quapropter idem Emin. Cardin. de Laurea *ibid. n. 270.* ita scribit: *Principium à Petro sumit Ecclesiæ, & ipse omnibus Superior fuit: potuit enim in Apostolos omnes exercere Jurisdictionem, eisque præcipere, Legesque ab eis observandas condere, & in hoc solatur Principatus illius respectu Apostolorum.* Secunda limitatio est, quòd Jurisdictio data Apostolis à Christo fuit personalis, seu extraordinaria; & per consequens non transmissibilis in alios Episcopos successores eorumdem Apostolorum; adinstar aliarum prerogativarum, quibus Apostoli fuerunt à Christo præditi, eundi scilicet, & prædicandi per universum mundum, miracula faciendi, conscribendi libros Canonicos de Doctrina fidei, fundandi novas Ecclesias, & instituendi novos Episcopos; hæc enim omnia ex privilegio concessa per Christum Apostolis, cessarunt per mortem Apostolorum; itaut alii Episcopi in eorum locum succedentes Claves Jurisdictionis teneantur accipere à Papa tamquam à supremo Pastore totius Ecclesiæ; ut concludit Eminentiss. Cardin. de Laurea *d. disp. 18. art. 8. num. 243. & 244. & Pax Jordanus d. Prælat. 3. num. 20.*

Episcopi autem habent Clavem Jurisdictionis in tota sua Diocesi tam directivam, quam coercitivam, quia possunt iudicare, punire, excommunicare, suspendere, interdicere, visitare, & exercere omnes alios actus Jurisdictionales, quos cumulat, & numerat Fagnanus in *cap. Conquerente à num. 12. & seqq. usque ad num. 40.* De Offic. Ordin. Sed cum duabus conditionibus. Una est, quòd eam recipiant à Papa, quem Christus constituit Monarcham, Principem, & caput totius Ecclesiæ; idè quoque à capite derivat omnis virtus in membra, sic à Summo Pontifice Romano procedit omnis Jurisdictio in alios Episcopos, ut bene probat Eminentiss. Cardin. de



Lauræa de Sacram. Pœnit. d. disp. 18. art. 8. à n. 335. Et seqq. & Fagnanus in cit. cap. Pœnitentiæ in d. num. 28. usque ad num. 54. de Offic. Ordin. ubi iuribus, rationibus, & auctoritatibus tum Theologorum, tum Canonistarum probat, Episcopos non recipere jurisdictionem immediate à Christo, sed à Papa; & idem docet Pax Jordanus in d. tom. 1. Prælad. 3. num. 12. Et 13. Barbosa de Jure Eccles. Univ. lib. 1. cap. 8. num. 19. ac Emanuel à Schellstrate d. tom. 2. Antiquit. Eccles. Dissert. 4. cap. 3. Secunda conditio est, quod concessam Episcopis Jurisdictionem Papa non suspendat, non auferat, aut illa eos non privet; siquidem Papa potest totaliter auferre alicui Episcopo omnem Jurisdictionem, ut demonstrat idem Emin. Card. de Lauræa d. disp. 18. art. 8. num. 227. ubi adfert exempla S. Leonis, qui Dioecorum Patriarcham Alexandrinum privavit Patriarchatu; S. Agapiti, qui Antium Patriarcham Constantinopolis depulit; Victoris, qui Theodotum, & aliorum plurium, de quibus Eminentiff. Cardin. Bellarminus lib. 4. de Romano Pontifice cap. 25. ubi copiosè Barbosa de Pœnit. Episc. tit. 1. cap. 1. num. 25. & Pax Jordanus d. Prælad. 3. num. 15; ubi alios allegat.

At obijciat aliquis: Episcopos possit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei. At. 20. 28. Ergo habent à Deo tum Ordinem, tum Jurisdictionem Episcopalem. Igitur utriusque Papa non potest auferre Episcopis ea, quæ sunt ordinis, cap. In novo, ubi Glossa in Verb. part. dist. 21. Ita neque ea, quæ sunt Jurisdictionis. Respondetur, negando consequentiam; ratio est, quia Episcopi recipiunt potestatem ordinis per consecrationem immediate à Deo, à quo institutus est ordo Episcopalis ad regendam Ecclesiam; sed quia voluit, ut Episcopi individualiter deputarentur mediante Papæ approbatione; hac de causa voluit Christus, ut Jurisdictionem reciperent à Papa, non autem eam haberent unà cum ordine; ideo Episcopi Titulares, vel qui renunciant Episcopatu, ac suspenduntur ab officio, retinent potestatem ordinis, sed remanent sine Clave Jurisdictionis; quam & converso plures Episcopi obtinent ante consecrationem in actu eorum confirmationis; quia hæc Jurisdictio fori externi non pendet à potestate ordinis. Eminentiff. Cardin. de Lauræa d. disp. 18. art. 8. num. 227. Fagnanus in cap. Statuimus. num. 21. De Supplet. neglig. Prælat. Et sic ad dictam objectionem respondet Jordanus d. Prælad. 3. num. 16. Fagnanus in cit. cap. Pœnitentiæ. num. 50. De Offic. Ordin. & Eminentiff. Cardin. de Lauræa d. disp. 18. art. 8. num. 244. Subdens, quod Episcopi possit sunt, idest instituti à Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei ex generali decreto; cuius executio commissa est Summo Romano Pontifici, prævia deputatione Episcoporum hic, & ubique per eum faciendâ; & sic à Papa recipiunt Jurisdictionem pro Dioecesi, in qua deputantur, tamquam à Christo Vicario, & Supremo Pastore.

At denud quæ replicabit obijciendo: Apostoli per univervum orbem instituebant Episcopos. Ergo iis non à Petro, sed ab Apostolis datur Jurisdictio. Ulterius, post Apostolos Episcopi eligebantur à Clero. Ergo recipiebant Jurisdictionem ab aliis, & non à Papa. Respondetur ad primum, quod Apostoli eligebant Episcopos tamquam delegati à D. Petro, & de eius mandato; sic enim commisit illis tamquam Vicariis Christi, & Supremis Pastor Ecclesie, Eminentiff. Cardin. de Lauræa d. disp. 18. num. 255. cui subinde per litteras dabatur notitia de electis; & hinc est, quod ipse Apostolorum Princeps scripsit suam primam Epistolam Episcopis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bybiniæ, tamquam ibi electis, & institutis per Apostolos de suo mandato, hortans illos ad rectum regimen animatum, ut in ead. Epist. cap. 5. vocans eos Senio-

res, scilicet, (ut ait ibidem Titinius) Non tam etate, quam dignitate Episcopos, & Presbyteros, quibus commissum erat regimen Ecclesiarum illarum. Subdens Vers. 2. Pastore qui in vobis est gregei Dei; scilicet qui vobis subditus, & commissus est, ut servus vertit, nempe singuli particularem Ecclesiam sibi conceditiam, & facit cap. Omnes d. 22. in quo Nicolaus II. ita expressit: Omnes sive Patriarchii cuiuslibet apices, sive Metropoliton Primatus, aut Episcopatum Cathedras, vel Ecclesiarum cuiuslibet ordinis dignitates instituit Romana Ecclesia. In Occidente autem Episcopos fuisse missos à D. Petro per omnes Provincias ad prædicandam fidem, constat tum ex missione S. Prothocimi Patavium, S. Hermacoræ Aquilejam, & S. Apollinaris Ravennam; tum aliorum septem Episcoporum in Hispaniam, quorum nomina refert (ex Historia Hispaniæ Lucii Marini) Emanuel à Schellstrate de Antiquit. Eccles. d. tom. 2. Dissert. 4. cap. 4. num. 2. Ad eundem respondetur, quod quando introducta fuit electio Episcoporum à Clero, adhuc Episcopi recipiebant Jurisdictionem à Papa, vel per confirmationem electorum, quæ petebatur ab Apostolica Sede; vel à Metropolitanis uti ejusdem Sedis Apostolicæ delegato, ut expressum est in jure Canonico, in quo statutum fuit, quod nullus electus ad Ecclesiam Cathedralis possit administrare, nisi recepta confirmatione. Fagnanus in cap. Nihil. de Elect. & scribit Canonistæ, ibi, & in Extrav. Injuncte eod. tit. adeo ut à primordio Ecclesie usque ad presentia tempora Episcopi semper recepissent Jurisdictionem vel à Sede Apostolica immediate, vel ab eadem medianteibus Legatis suis, aut Metropolitanis hanc delegatam facultatem ab eadem Sede habentibus. cap. Quoniam. dist. 100. cap. Cum dilectus. 32. de Elect. Et cap. 2. dist. 64. cap. Presbyteri dist. 24. Barbosa de Jure Eccles. d. lib. 1. cap. 9. num. 6. quom quidem facultatem Patriarchæ Metropolitanæ tunc à B. Petro recipient, cum ab eodem Pallium de corpore B. Petri sumptum consequuntur cap. Nisi. cap. Antiqua de Auctor. & Usu pallii. cap. In novo. dist. 21. Barbosa d. lib. 1. cap. 6. num. 55.

Tandem hæc Clavis Jurisdictionis Ecclesiasticæ directiva, & coercitiva pro foro externo transit ex commissione Papæ in manus Cardinalium, qui eam exercent in personas subditas suis titulis Cardinalitiis. Abb. in cap. His. qui. De Major. Et obed. Joan. Menoch. in cap. Unic. eod. tit. in 6. Albanus de Cardinalatu. q. 46. & Barbosa d. lib. 1. cap. 4. num. 38. nec non in manus aliorum Prælatorum inferiorum, videlicet Abbatum sive Titularium, sive Commendatariorum, habentium Jurisdictionem quasi Episcopalem cum Territorio separato, ac populo sibi subiecto; quales sunt Abbates Vangaditiæ, & Nonantulæ, ac similes; Barbosa d. lib. 1. cap. 17. num. 19. Et num. 75. Item in Abbates Regulares Præsides Monasteriorum, qui Jurisdictionem exercent in suos Monachos. d. cap. 17. num. 72. Similiter in Vicariis Capitularibus, Sede Episcopali vacante, qui ex Jure Canonici dispositione, idest ex Summi Pontificis concessione subintrant in Jurisdictionem Episcopalem, donec Ecclesia de novo Pastore provideatur. Sbrozzius de Offic. Vicar. lib. 2. q. 55. num. 31. Marchetus eod. tra. part. 1. tit. 2. n. 13. Ulterius in Priores, Præpositos, Guardianos, & alios Superiores Ordinum Regularium Mendicantium, quidam à solo Papa approbantur. cap. Ne nimia. De Religiosis domib. Et cap. Religionum. eod. tit. in 6. ab eodem Papa recipiunt Jurisdictionem Clavem pro dirigendis, & coercendis suis Fratribus Professis, ac Novitiis, de qua optime dicitur Lezana in Summa tom. 1. cap. 18. num. 25. Et tom. 4. Verb. Prælati Regulari. n. 8. Et seqq. De Abbatissis verò disputabile est, utrum etiam ipsæ habeant Clavem hanc Jurisdictionis Ecclesiasticæ. Pro negativa facit, quia non possunt

sunt excommunicare, aut alias censuras fulminare. cap. Dilecti. ubi Glossa, Et DD. de Majori. Et Obed. Et femine sunt incapaces Jurisdictionis Ecclesiasticæ. cap. Nova de Pœnit. Et Remiss. Neque possunt prædicare, aut alios docere. cap. Ad vicimus. 16. q. 1. cap. Mulier. dist. 23. Prout neque Vota simplicia Monialium dispensare; ut aliis citatis asserunt Lezana in Summa tom. 1. cap. 26. num. 15. Pax Jordanus tom. 1. lib. 5. tit. 4. à num. 24. Et seqq. At è contra pro affirmativa facit, quod Abbatissæ conferunt beneficia subiecta, seu de mensa suorum Monasteriorum, ut faciunt hic Patavii Moniales S. Stephani, ac Abbatissa S. Petri, quæ de consensu sui Capituli confert tres Ecclesias Parochiales, duo beneficia simplicia, & duas Mansionarias perpetuas (quarum unam, illam scilicet S. Pauli, habentem redditus annuos Ducatorum centum, & ultra, in præsentia ego possideo). Item Abbatissæ possunt suspendere ab officio beneficiarios negligentes, vel delinquentes à se investitos d. cap. Dilecti, Et ibi Abbas. De Major. Et Obed. Jordanus d. tit. 4. num. 26. Tamburin. de Jure Abbatissar. dist. 32. quæ 5. num. 3. Et quæ 12. per tot. Ac etiam possunt Abbatissæ imponere Monialibus præcepta obligantia ad peccatum, etiam mortale, & Moniales tenentur illis obedire; & valent præcipere eis in virtute Sanctæ obedientiæ; & cogere Moniales ad observantiam Regulæ, punire illas propter transgressionem, & inquirere de delictis earum; ut latè ostendit Lezana in Summa d. tom. 1. cap. 26. à n. 8. Et seqq. Et tom. 3. Verb. Abbatissa num. 14. Et 15. Cæterum concordantur hæc opinionibus cum hac distinctione, quod scilicet Abbatissæ verè, & propriè Clavem Jurisdictionis Ecclesiasticæ pro foro externo non habeant, sed potestatem dominativam, & Jus administrandi, & regendi Monasterium, personas, & bona illius, ut faciunt Patresfamilias; ideo irritare possunt vota Monialium, eas corrigere, hortari, & alia facere, quæ ad tranquillitatem Monasterii spectant, & ad bonum exemplum. Collationes autem beneficiorum non sunt auctorizabiles, idest collativæ spiritualis auriæ, & formæ, ac perlonæ, cuius commune, & sic tur; & quod dictum est de suspensione beneficiatorum, procedit lato modo de prohibitione humana, non autem de Censura Ecclesiastica, ut plene deinceps Lezana, Jordanus & Tamburinus locis supra cit. Et ibi DD. num. 8. Et 9. De Major. Et Obed. Et hæc de Clavibus fori externi.

Quo ad Quartum: Non est sine controversia apud Theologos Quæ, & Quot sint Claves Ecclesiæ pro foro interno? Pro intelligentia sciendum, has Claves fori interni importare potestatem absolvendi à peccatis in foro penitentiali, & secreto, quæ Christus reliquit in Ecclesia, ut probatum est supra n. 16. de quarum Clavium numero, plures fuerunt opinionentiff. Cardin. de Lauræa d. disp. 18. art. 4. num. 71. ita scribens: Alii dixerunt esse unam tantum, scilicet vicariarum numero plurali, quia multos adus causas. Alii dixerunt, esse duas, scilicet ordinis, & jurisdictionis. Alii dixerunt esse tres, scilicet Jurisdictionis unam, ordinis aliam, tertiam vero potestatem absolvendi. Alii dixerunt, esse quatuor, scilicet Jurisdictionis, ordinis, idest Sacerdotii, scientiæ, & potentie. Cæterum his disputationibus omissis, veteri, & communiori sententiæ est, quod due sunt Claves Ecclesiæ pro foro interno, penitentiali, & secreto; Una, quæ dicitur Clavis scientiæ; & altera, quæ vocatur Clavis potentie. Cum enim in omni judicio ad bene sentiendum, necesse sit, ut iudex bene se informet de meritis causæ, & sciat necessarias circumstantias ejusdem; simulque habeat potestatem ferendi sententiam, vel absolu-

toriam, vel condemnatoriam; ita in Sacramento Pœnitentiæ, quod exercetur per modum iudicii in foro interno, & secreto; opus est, ut iudex, nempe confessarius habeat potestatem interrogandi penitentem de speciebus, numero, & circumstantiis criminum, quæ sibi confiteretur, & se infirmat ad ritè, & rectè sententiandum vel per absolutionem, vel denegationem absolventis; & hæc potestas vocatur Clavis scientiæ. Subindè, quia habita notitia omnium sciendorum à penitente, debet idem Confessarius habere potestatem illum absolvendi à peccatis; & eum obligandi ad recipiendam penitentiam, & agendam satisfactionem, quam ei imponere voluerit; hæc secunda potestas est altera Clavis, quæ appellatur, Clavis potentie. Ita ex Scoto, Glossa, Rabano, D. Augustino, & Alenfi, Eminentiff. Cardin. de Lauræa d. disp. 18. art. 4. num. 81. & ante illum Suarez tom. 4. in 3. part. D. Thome disp. 10. sc. 4. num. 6. Novissimè P. Anton. Volpi in suis Resolutionibus Moralibus Verb. Ordo. Resol. 140. num. 6. & Cardenas in Crisi Theologica tra. 6. de Sacram. Pœnitent. dist. 51. num. 11. Et 12.

Quo ad Quintum: Has Claves fori interni, præsertim Papam in toto mundo, Episcopos in suis Dioecibus, & alios inferiores Prælatos Territorum, ac subditos habentes, nec non Prælatos Regulares, si Sacerdotes sint, erga sibi subditos, (de quibus Tamburin. de Triplici Jure lib. 5. cap. 4. §. 2.) habent etiam simplices Presbyteri cum duobus tamen requisitis. Unum quod completè receptor ordinem Sacerdotalem; alterum, quod à Papa, vel ab Episcopo sibi delegata sit Jurisdictio pro foro interno. Primum requisitum est, quod Presbyter sit completè ordinatus; sicut enim Apostoli, dum à Christo ordinati sunt Sacerdotes receperunt duas potestates, unam consecrandi Eucharistiam quando in cena eis dixit: Hoc facite in meam commemorationem. Luc. 22. 19. alteram post Resurrectionem absolvendi à peccatis, quando Injessavit, Et dicit eis: accipite Spiritum Sanctum, quorum remissionis peccata, remittuntur eis: Joan. 20. 22. ita quilibet Sacerdos in sua ordinatione hanc duplicem potestatem recipit, sed non uno, & eodem actu, vel tempore. Nam primam consecrandi Corpus, & sanguinem Christi obtinet tangendo patenam, & calicem, cum hostia, & vino; & hæc dicitur potestas in corpus verum; alteram consequitur post missam Episcopi per impositionem ejus manuum in capite; & hæc est potestas absolvendi à peccatis, quæ appellatur potestas in corpus mysticum Christi; necesse est igitur, ut completè ordinetur, idest ut utraque potestas in ordinatione sibi ab Episcopo conferatur; siquidem per primam, deficiente secunda, non possit absolvere à peccatis, sed tantum consecrare, prout facere potuissent Apostoli à tempore cenæ usque ad antedictam insufflationem Christi, & per secundam deficiente prima neque consecratio, neque absolutio à peccatis esset valida, quia prima potestas est conditio, sine qua non valet secunda. Utraque igitur potestas est Presbytero conferenda in ordine Sacerdotali, ut dicatur completè ordinatus. Tamburin. de Triplici Jure lib. 7. cap. 5. §. 2.

Alterum requisitum est, quod Sacerdoti ultra ordinem Sacerdotalem, attribuitur Jurisdictio, quamvis enim antiquitus multi DD. opinarentur, quod quilibet Sacerdos completè ordinatus posset validè absolvere quemcumque coram se constitutum, est illicite, ut ex Scoto refert Eminentiff. Cardin. de Lauræa d. disp. 18. art. 7. num. 168. hæc opinio damnata fuit tum in Concilio Florentino in Decret. Eugenii IV. tum in Tridentino Sess. 14. cap. 7. ubi Sacra Synodus declaravit, Nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in tum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non ha-



bet Jurisdictionem. Ordinariam autem Jurisdictionem pro foro interno habent Episcopi, Prælati erga subditos suos, ac Parochi; delegatam verò alii simplices Sacerdotes, dum ab Episcopo approbantur ad Confessiones, & iidem impertitur Jurisdictio, ut possint abolvere pœnitentes à peccatis, ut dixi supra Decif. XV. num. 28. ex Gobat tract. 7. num. 43. & Squilant. de Oblig. & Privileg. Episcop. part. 3. cap. 39. num. 1. Et hæc est causa, propter quam Sacerdos, si prohibeatur ab Episcopo celebrare, & celebret; valide consecrat, quamvis illicitè faciat; at non approbatus ad confessiones, vel prohibitus, ne eas audiat; si de facto absolvat, invalida, ac nulla est absolutio; quia scilicet, potestas conferendi data est ei absque ulla conditione in ordine Sacerdotali; at potestas absolvendi elargitur sub restrictione obtinendi prius jurisdictionem vel ordinariam, vel delegatam, qua non obtenta (excepto casu periculi mortis, in quo Ecclesia concedit ipsam Jurisdictionem omnibus Sacerdotibus) invalidè Sacerdos absolvit, ut plenissimè demonstrat Eminentiss. Card. de Lauræa d. disp. 18. art. 7. per totum. Et disp. 19. art. 9. num. 201. & doctissimus Maffrius in 4. Sent. disp. 3. quæst. 19. art. 1. & 2. à num. 510. & seqq. Et in sua Theologia Morali disp. 21. q. 8. art. 1. à num. 200. & seqq. ubi bene advertunt Jurisdictionem, vel ordinariam, vel delegatam esse necessariam ex veriori opinione in simplici Sacerdote etiam pro absolutione à venialibus, vel à mortalibus aliis confessis, quæ opinio hodie est omnino tenenda; quia contraria damnata est ab Innocentio XI. in Decreto circa Communionem quotidianam dato Romæ die 12. Februarii Anni 1679. relato à Cardenas in Cæsi Theolog. tom. 2. Dissert. 2. cap. 6. art. 9. num. 416. & per me transcripto in meis Decisionibus De Venerabili Eucharistia Sacramento Decif. X. ad num. 11. ut dixi supra Decif. XV. num. 30.

Quo ad Sextum, & ultimum: Si querimus, Quisnam sit effectus harum Clavium fori interni? & an sit infallibilis? respondetur tres esse effectus. Primus est remissio, & delicti culpæ; licet enim Magister Sententiarum, & alii antiqui Theologi asseruerint, culpam à solo Deo remitti, & deleri; Sacerdotem verò proferendo verba absolutionis tantummodo declarare culpam fuisse à Deo remissam, hæc opinio non est vera; imò est à Concilio Tridentino reprobata; quandoquidem sess. 14. Can. 9. definit, quod; Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum judiciale, sed nudum ministerium pronuntiandi, & declarandi remissa esse peccata, &c. Anathema sit. Et veritas prædicti primi effectus est manifesta, tum quia Christus instituendo hoc Sacramentum dixit Apollolis: Quorum remisistis peccata, remittantur eis. Joan. 20. & non quorum pronuntiaveritis fuisse remissa peccata; tum quia Sacramenta efficiunt, quod significant. Sed Sacramentum Pœnitentiæ, per formam absolutionis significat, Sacerdotem tamquam Judicem absolvere pœnitentem. Ergo verè eum absolvit à culpa, & introducit gratiam in ejus animam; tum etiam quia nisi Sacerdos esset, qui absolvendo deleret culpam, in nihilo differret à Sacerdotibus Legis antiquæ, qui Leprosos non liberabant à Lepra, sed liberos esse declarabant; unde ait S. Jo. Chryostomus lib. 3. de Sacerdotio c. 4. Nostri Sacerdotibus non corporis Lepram, verùm animæ fordes, non dico purgatos probare, sed purgare prorsus concessum est. Ad rationem verò, quod soli Deo competat dimittere peccata; respondetur, intelligendam esse quod ad supremam, & principalem potestatem; ad Sacerdotem verò spectat ministerialiter, & tamquam ministrum Dei, ad hoc ab ipso Deo judicem constitutum, ut fuis docent, ac probant Gonetorum 5. disp. 12. art. 3. num. 31. Maffrius in 4. d. disp. 5. quæst. 13. art. 1. à num. 364. & seqq. & Eminent. Card. de Lauræa d. disp. 18.

art. 10. per totum. Secundus effectus est remissio, ac delicti pœnæ æternæ; cum enim pœna æterna annexa sit, & coheret culpæ mortali, sequitur necessarid, quod qui deler culpam, deleret etiam reatum, ac pœnam æternam. Et ita docent S. Thomas in 4. disp. 18. q. 1. art. 3. & disp. 22. art. 1. Scotus ibid. disp. 19. §. ad questionem motam. Eminent. Cardin. de Lauræa d. disp. 18. & Maffrius ead. disp. 5. num. 368. Tertius effectus est, remissio aliquis partis pœnæ temporalis, quæ remanet solvenda Divinæ Justitiæ post deletam culpam, & remissam æternam pœnam; adeo ut si deleta culpa per contritionem cum voto Sacramenti, remaneat solvenda pœna temporalis in Purgatorio centum annorum; si actualiter suscipiatur Sacramentum Pœnitentiæ, per absolutionem sacramentalem, quam virtute clavium profert Sacerdos super eodem pœnitente, deletur aliqua pars ejusdem pœnæ, & diminuitur idem numerus centum annorum. Hoc probatur ex illis verbis Concilii Tridentini sess. 6. cap. 14. in quibus assignans disparitatem effectus Sacramenti Baptismi, ac Sacramenti Pœnitentiæ, inquit, in hoc, & non in illo esse necessariam satisfactionem: Non quidem pro pœna æterna, quæ vel Sacramento, vel Sacramento voto una cum culpa remittitur; sed pro pœna temporalis, quæ, ut Sacre Littere docent, non tota semper, ut in Baptismo fit, dimittitur. Itaque si non tota semper dimittitur, aliqua pars semper dimittitur. Ulterius Claves delent pœnam temporalem, quia dum Sacerdos earum virtute injungit pœnitentias faciendas in hac vita, eum liberat à pœnis aliis solvendis in Purgatorio, ut bene profequitur Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 18. art. 12. Maffrius d. num. 368. & Gonet d. tom. 5. disp. 13. art. 3. num. 31. ubi subdit, quod pœnitentia Sacramentalis ultra deletionem pœnæ temporalis, ex peccatis jam condonatis relictis; nec non auxilia quædam supernaturalia ad faciendos præcavenda peccata in futurum. Utrum autem hi effectus Clavium sint infallibiles? Respondetur affirmative, dummodo clavis scientiæ non erret circa species, aut circumstantias mutans illas; vel clavis potentia præter non erret in absolvendo à peccatis reservatis, super quibus Sacerdos non habeat jurisdictionem. In his duobus casibus efflarent prædicti effectus, quia judicium esset invalidum; & Sacramentum nullum. At ubi validitas Sacramenti, & absolutionis est salva, prædicti effectus sunt infallibiles, etsi Confessarius in aliquo peccaret circa clavem scientiæ, vel potentia, imponendo scilicet, vel majorem, vel minorem pœnitentiam; vel non interrogando exactè omnes circumstantias, de quibus infra Decif. XXV. ut latissimè demonstrat Eminent. Card. de Lauræa d. disp. 18. art. 12. in quo Eminentia sua concludit tractatum de Clavibus Ecclesiæ.

DECISIO XX.

ARGUMENTUM.

Exponitur effectus Clavium Ecclesiæ quod ad Indulgentias, quarum vetustissimo usu probato, offenditur, plenissimam potestatem eas elargiendi esse in Papa, limitatam autem in Cardinalibus, Episcopis, Archiepiscopis, Abbatibus, ac aliis Prælatibus Regularibus; nullam verò in Conciliis, Vicariis, Capitulis, ac Parochiis. Novem observationes scitu dignæ circa facultatem Episcoporum impertiendi Indulgentias, & harum publicationes etiam ab aliis, quam ab Episcopo, ex consuetudine ferri posse, auctoritate Rotæ Romanæ demonstratur.

SUMMARY.

- 1 Etymologia Indulgentiæ.
- 2 Indulgentia definitur, ac ejus declaratio.
- 3 Pœnæ luendæ in hac vita ex Dei decreto, ut Pestis, Fames, Bellum, non tolluntur per Indulgentias.
- 4 Thesaurus Ecclesiæ quinam sit? & quomodo constitutus?
- 5 Indulgentiarum concedendi Potestas data est à Christo.
- 6 Hostes indulgentiarum quinam fuerint?
- 7 Antiquissimi usus Indulgentiarum probationes.
- 8 Testis inimici depositio ad favorem adversarii sui facit maximam probationem.
- 9 Abbas Papæ apollolis laudatus.
- 10 Papa potest quacumque Indulgentias concedere cuicumque.
- 11 Causa rationalis requiritur pro Indulgentiis elargiendis.
- 12 Papa quo modo concedat Indulgentias pro defunctis?
- 13 Clausula per modum Suffragii quid significet?
- 14 Cardinales concedunt Indulgentias, & quales?
- 15 Legati, seu Nuncii Apostolici quas Indulgentias impertiunt?
- 16 Indulgentiarum concessio est actus Jurisdictionis, non Ordinis.
- 17 Oratio piissima composita à S. Francisco Xaverio.
- 18 Episcopi quas, & quot Indulgentias possunt elargiri? circa quorum facultatem dantur novem observationes.
- 19 Abbates, ac Prælati Regulares an possint concedere Indulgentias?
- 20 Concilia, Vicarii, Capitula Sede vacante non concedunt Indulgentias.
- 21 Indulgentiarum Papalium publicatio à quibus faciendâ?

Sed hic non improprie aliquis postulat: Utrum Claves Ecclesiæ, de quibus supra dictum est, se extendant etiam ad Indulgentias, adeo ut omnes, qui illas habent, & adhibent tam in foro externo, quam in foro interno, possint Indulgentias concedere?

Pro responsione duo sunt præmittenda. Unum est, quod Indulgentia, quæ ex nominis etymologia significat nimiam quandam licentiam, seu facilem propensionem impudè agendi contra jus, sive naturalem amorem parentum in filios, aut moderatam remissionem alicujus delicti, sui pœnæ ex liberalitate, vel misericordia factam; ut differit Gobatus in Quinario tract. 4. de Indulgent. num. 12. relata tamen ad Claves Ecclesiæ ita definitur: Indulgentia est relaxatio pœnæ temporalis, debite pro peccatis actualibus jam dimissi, & aliquando dimitendis, concessa à Prælato Ecclesiæ per applicationem Theauri Ecclesiastici. Ita ex Valentia tom. 4. disp. 7. q. 20. punct. 1. Gobatus in Quinario d. tract. 4. num. 13. Dicitur Relaxatio prævia compensatione, quæ fit Divinæ Justitiæ cum meritis Redemptoris, Beatæ Mariæ Virginis, ac aliorum Sanctorum, repositis in thesauro Ecclesiæ, pro pœna, quam recipiens Indulgentiam debuisse extolvere pro suis culpis eidem Divinæ Justitiæ usque ad integram satisfactionem. Dicitur relaxatio pœnæ, non autem culpæ; quia Indulgentiæ nunquam remittunt, aut relaxant culpam. Quod si alicubi legatur, eas remittere peccata, intelligendæ sunt quoad pœnam; vel eas absolvere à culpa, & à pœna; id est, quod eas recipientes conceditur facultas, ut à Confessario possint absolvi à quacumque culpa etiam reservata. Gobat d. tract. 4. num. 16. & 17. ubi DD. De Sacramento Pœnitentiæ.

& Lexana tom. 3. Verb. Indulgentia. n. 2. Dicitur Pœnæ Temporalis, non autem Æternæ, quia hæc remittitur vel per Confessionem sacramentalem, vel per contritionem cum voto confitendi; ut dictum est in præced. Decif. XIX. num. 34. Verf. Secundus effectus. Dicitur debite pro peccatis actualibus, videlicet commissis post baptismum; nam patrata ante baptismum, prout etiam originale, delentur quo ad culpam, & quo ad totam pœnam in ipso salutaris Lavacro. Eminentiss. Card. de Lauræa de Baptismo disp. 16. art. 2. n. 21. & 22. Dicitur jam dimissis, & aliquando dimitendis; quia regulariter ad obtinendas Indulgentias oportet, ut præcedat remissio culpæ vel per contritionem, vel per actuale eorumdem sacramentalem Confessionem, ut ferè in omnibus concessionibus Indulgentiarum præscribitur; etsi aliquando sufficiat solum propositum confitendi, ut demonstravi supra in Decif. VIII. à num. 8. & per consequens probabile sit, quod possit peccator sibi acquirere satisfactionem per Indulgentias etiam nondum dimissis peccatis, juxta opinionem Eminentiss. Cardin. de Lauræa de Pœnitent. disp. 13. art. 10. à qua non dissentit Suarez eod. tract. disp. 10. sect. 2. & Emin. Card. de Lugo disp. 7. num. 95. relati à Gobato in Quinario d. tract. 4. num. 18. ubi num. 19. subdit, pœnam temporalem, quam remittit Indulgentia, esse illam, quam vel Confessarius injungunt peccatori, vel in Purgatorio pœnitens erit purgaturus; nam pœnæ ob hominum scelera luendæ ex Dei decreto in hac vita, nempe Bellum, Pestis, Fames, non tolluntur per Indulgentias. Eminentiss. Card. de Lugo disp. 37. sect. 9. quod intelligendum est primariò, & secundum proprium effectum; secus per eas moventur homines ad relinquenda peccata; & sic Deus removel ditas pœnas. Dicitur concessa à Prælato Ecclesiæ: scilicet vigore clavium tum ordinis, tum Jurisdictionis in foro externo; ut infra explicabimus, loquendo singillatim de omnibus Prælatibus. Tandem dicitur per applicationem Theauri Ecclesiastici; qui quidem Theaurus est ingens, & inexhaustus cumulus meritorum, & satisfactionum tum Christi Domini, tum Deiparæ Matris, tum etiam aliorum Sanctorum, quorum sanctæ actiones longè plus pœnæ expiuntur, quam eorumdem Sanctorum aut peccata, aut peccatilla fuerint promerita; qui quidem Theaurus servatur in acceptance, & memoria divina, & erogatur in utilitatem membrorum Ecclesiæ. Extravag. Unigenitus. De Pœnitent. & Remissionib. Valentia d. disp. 7. quæst. 20. punct. 1. Gobat d. tract. 4. num. 21. Tirinus in Indice Controv. Fidei Controv. 24. & Cornet. à Lapide in Epist. ad Coloss. Verf. 24.

Alterum præmittendum est; in Ecclesia reliquam esse potestatem à Christo concedendi Indulgentias, per illa verba Matth. 18. quacumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cælo. Et per ea, quæ dixit Petro Matth. 16. Tibi dabo Claves Regni Cælorum; Earumque usum usque ab initio præcæturum fuisse, ut ex testimonio SS. Patrum, ac Concilio-rum demonstrant Valentia d. tom. 4. disp. 7. q. 20. punct. 2. Tirinus d. Controv. 24. & in Commentar. 3. Cor. 2. Verf. 10. Passerinus de Indulgentiis quæst. 1. cap. 8. novissimè Gaspar Ivenin in Commentar. Historico Dogmat. de Sacramentis tom. 2. Dissert. 14. quæst. 1. cap. 1. & 2. ubi doctè advertit quod præter temporibus Indulgentiis, quibus remittebantur pœnæ debite pro peccatis, dicebantur, relaxatio-nis, remissiones, donationes, condonationes; adeo ut nomen Indulgentiæ ceperit usurpari à Gregorio Papa VII. in suis Epistolis. Hostes autem Indulgentiarum fuerunt hæretici Waldenses Anno 1170. de-6 Wiclefius, & Joannes Hus, quos damnavit Concilium Constantiense sess. 15. At impetum fecit in illas